



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771


VD18 90118596

Liber CLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CLVII.



PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,
FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Colloquium Possiacense.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

*Thuan. l. c.
Benoit. hist.
de l'Edit. de
Nantes tom.
2. p. 27.*

Adventante in Gallias Ferrariensi Cardinale Sacræ Sedis Legato jamjam Possiacensi colloquio dabatur initium, nihil tamen adhuc de Religionis negotio decisum erat; dum enim hoc colloquium fuerat inchoatum, præsentibus duntaxat aderant Borbonius, Turnonius, Castillionæus, Lotharingius, Armeniacus, & Guisus Cardinales unacum quatuor Episcopis, quorum tamen numerus postea ad quadraginta excreverat: Doctorum vero, ac Theologorum scientia maxime illustrium intervenerant quamplurimi, atque inter eos etiam Claudius Epençæus, & Claudius Sanctius. Paucis post diebus illinc etiam venerant duodecim, aut tredecim

decim spurixæ reformationis Ministri u-
 nacum viginti duobus suarum Ecclesia-
 rum Deputatis, atque ex illis Theodo-
 rus Beza primus Calvinii Discipulus,
 atque Coadjutor veluti ceterorum ca-
 put verba facere jubebatur: porro reli-
 qui erant: I. Augustinus Marloratus ex
 Ordine Augustinianorum Apostata, &
 Rothomagensis Minister, II. Joannes
 Malo quondam Parisiis Presbyter
 S. Andreæ ad arcum, dein vero fidei
 desertor: III. Joannes Spina antea Or-
 dinis S. Dominici Alumnus, postea e-
 tiam a vera Religione deficiens. IV.
 Petrus Martyr inter suos magni nomi-
 nis Theologus, a Tigurinis deputatus,
 V. Joannes Viretus, VI. Franciscus Mo-
 relus, VII. Raymundus Merlinus, VIII.
 Nicolaus Tobias, IX. Claudius Boffe-
 rius, X. Joannes Boquinus, XI. Joannes
 Turrius, XII. Nicolaus Gallafius.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

§. II.

*Quatuor Calvinistarum postulata in
 hoc colloquio.*

In hujus colloquii principio Lotharin-
 gius Cardinalis Theodoro Bezæ spe-
 cialem exhibebat amicitiam, ut illum
 ad privatam disputationem secum in-
 eundam induceret, qua forte dissidia de-
 cidi possent: verum Beza hanc conditio-
 nem acceptare haud audebat: quinimo

Thuan. l. c.
 Claud.
 Sanct. in
 apol contra
 Bezam.

Sæcul. XVI. A.C. 1561. Marloratus Regi libellum supplicem porrexit, quo quatuor hæc capita postulavit: I. Episcopi, ceterique Præsules huic colloquio tanquam partes, non tanquam iudices assistant. II. Rex colloquio, seu collationi cum sanctioris consilii Senatoribus præsit. III. Controversiæ omnes ex solo Dei verbo decendantur: IV. quicquid conventum, ac decretum fuerit, id per Notarios, & Amanuenses, de quibus partes prius convenissent, scriptis mandetur, iisque proinde integra fides habeatur. Libello hoc ad Senatum regium remisso Protestantium Ministri, cum nullum responsum daretur, tandem apud Reginam intercedebant, quæ etiam responsum fere eorum postulatis consentaneum dedit, id unice præcipiens, ut is, qui hac in occasione Notarii munus obiret, unus ex illis eligeretur, qui secretioris Consilii Minister foret, ita tamen, ut iis liberum relinqueretur, per virum ab ipsis electum ea, si quæ in colloquio agerentur, seu de quodam articulo conveniretur, seu ille controversus remaneret, in commentario singulis diebus referre: Insuper Regina hosce Ministros Protestantes a Sancti Germani oppido Poissiacum usque præsidio munitos conducere iussit, ut a populi in eos exacerbati furore immunes essent.

§. III.

S. III.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.*Rex colloquii rationem exponens, illi-
que initium datum.*

Cum hæretici rursus instarent, ut etiam sibi, quandoquidem indulgeretur, quatenus Rex colloquio præesset, ejus rei fides scripto fieret, hinc Regina petiit, ut non amplius sibi id scripto dari vellent, sed ejus promisso fiderent: insuper Theologorum plures Reginam rogabant, ne Protestantium Ministri colloquio interessent, aut si decrevisset eos admittere, atque audire, saltem Rex huic disputationi præfens non adesset, cum periculum foret, ne tenellæ ejus aures pestifero perverfæ doctrinæ veneno inficerentur, aliunde vero ipsi, utpote damnatæ opinionis jam pridem convicti, nequaquam audiendi essent: verum ii nullum aliud a Regina responsum retulere, quam nihil, nisi ex consilii sententia in ea re actum iri: itaque Rex ipsemet huic colloquio unacum tota Aula sua interfuit, comitantibus illum Regina, Navarræ Rege, Aurelianensi Duce Regis Franciæ Fratrem, Margarita ejus Sorore, Regii Sanguinis Principibus, & sacratoris Senatus Patribus præter jam supra memoratos Cardinales, atque Prælatos. Sedebat Rex intra septa

Sæcul XVI
A C 1561.

clathrata, quæ pro eo, illiusque Au-
licis in Religiosarum Virginum cœnobio
construebantur: Doctores vero Theo-
logi humiliora subsellia pro illis præpa-
rata ab Episcoporum tergo occupabant:
porro Protestantes Ministri eundem lo-
cum tenere, ac eodem, quo Catholi-
corum Theologi, ordine disponi pete-
bant: verum repulsam tulerunt, atque
id unice eis permissum, ut extra am-
bitum stantes sua argumenta proponere
possent.

Cunctis itaque confidentibus Rex ad
id instructus dixit: „scitis, qua de causa
„huc convocati sitis, nimirum ut tur-
„bis, quæ passim in meo Regno exo-
„riuntur, salutare remedium ex vestra
„sententia quæretur; proinde curate,
„ut præcisa omni offensionis causa ea,
„quæ emendatione egent, corrigantur,
„& publicæ tranquillitati, quam optime
„fieri poterit, legitima ratione consu-
„latur: quam in rem peto, ut non prius
„discedatis, quam omnem operam de-
„deritis, ut tandem aliquando compo-
„sitis diffidiis mutua inter populos mihi
„subditos concordia, ac sincera amici-
„tia sarciatur: quod si feceritis, non
„committam, ut patrociniū, quo a
„majoribus meis olim protecti estis, a
„me, meisve Magistratibus in posterum
„possitis requirere.

§. IV.

*Oratio Hospitalii Cancellarii in Pos-
siacensi Conventu.*

Tum Hospitalius Cancellarius pluri-
bus Regis voluntatem aperire jus-
sus, orationem, cujus summam referi-
mus, ita ordiebatur: „Ex ore Regis
„vestri notum est vobis omnibus, quod
„ad id conveneritis, ut ea, quæ in
„disciplina, ac doctrina etiam depra-
„vata sunt, emendentur: porro idem
„votum fuit Henrici II. & Francisci II.
„sed morte eorum tam laudabiles co-
„natus impediti fuerunt, nam ad hoc
„Reges a Deo instituti, & ordinati,
„ut illorum corda, seu, voluntates,
„consilia, affectus in manu sua habeat,
„& prout quisque erga populos affectus
„sit, moderetur, flectat, & regat: porro
„eadem mens, ac voluntas, quam Deus
„Patri, & avo dedit, nostro quoque
„Regi indita est, qua in re suorum An-
„tistitum auxilio opus habet, sed cu-
„randum, ne, quod imperiti medici fa-
„ciunt, remediis lenientibus, & ad
„tempus dolorem sedantibus, non au-
„tem perfecte curantibus utantur, hinc
„caussa morbi cognoscenda, eaque præ-
„cidenda, nam malum urget: itaque
„neque e longinquo, neque tardum re-
„medium petendum: id vero, quod a

Sæcul. XVI. „Concilio universali expectatur, nimis
A.C. 1561. „serum est, ac plerumque ejusmodi
 „Synodi exteris, & rerum nostrarum
 „ignaris hominibus constant; quibus
 „nostra ægritudo minus perspecta est,
 „& tamen Pontifici necessitas imposita
 „est, ut eorum opera utatur: Antisti-
 „tes vero, qui hic adsunt, fratres, co-
 „gnati, & amici eorum sunt, qui cura-
 „tione egent, ac proinde haud dubi-
 „tandum, quin ipsi majori charitate
 „eos persecuturi, & cum exactiori pe-
 „ritia in eo negotio versaturi sint: nec
 „impedimento est, quod objiciatur, per-
 „inde acsi eodem tempore duo con-
 „cilia haberi non possent, nam & hoc
 „alias factitatum, nec exemplo caret:
 „decreta enim illius Concilii, quod in
 „Francia celebrandum foret, singillatim
 „possent ad Pontificem mitti, ut iis
 „subscribat, cum id sæpius usurpatum
 „fuerit sub Carolo magno in Provincia-
 „libus Synodis, præcipue in Aurelia-
 „nensi, Arelatensi, & Aquensi; ubi error ab
 „universalis Synodi factione seminatus,
 „a nationali plerumque extirpatus, ac
 „correctus fuit: insuper pro exemplo
 „servit Concilium Ariminense, in quo
 „Arianum virus sparsum fuit, dum ta-
 „men postea ejus errorem coacto in Gal-
 „liis Concilio beatæ memoriæ Hilarius
 „Pictaviensis Episcopus damnavit, at-
 que

„que e Francia omnino eliminavit: At- Sæcul XVI.
 „tamen præprimis necesse est, ut An- A.C. 1561.
 „tistites, ac Theologi corde humili, &
 „ut corpore præsentés, sic animis con-
 „cordes adsint, nec ullus se præ aliis
 „æstimet, nec is, qui doctrina præstat,
 „inferiores se contemnat, neque vicis-
 „sim, qui doctrina minus valet, doctio-
 „ribus maligne invidet. Ceterum sub-
 „tiles, ac curiosæ disputationes sunt
 „rejiciendæ, nec multis libris opus est,
 „sed Verbum Dei sufficit, ad quod tan-
 „quam regulam doctrina appendenda,
 „& examinanda est.

Postea Cancellarius sermonem con-
 torquens ad Calvinistas hunc in modum
 prosequatur; „nec erga Protestantes
 „alieno adeo animo nos Catholici esse
 „debemus, quippe qui fratres sunt, &
 „eodem lavacro regenerati eundem Chri-
 „stum nobiscum colunt, nec ii ex præ-
 „concepta adversus eos opinione in-
 „dicta causa condemnandi, sed am-
 „plexendi, accipiendi, & amice in viam
 „reducendi sunt sine acerbitate, & con-
 „tumacia; nam nimia severitate in eo
 „graviter erratur: sic olim Alexander
 „Alexandriæ Patriarcha ad insaniam
 „Arium adegit, & sic Nestorius Constans-
 „tinopolitanus ob eandem causam in-
 „non minus perniciosum errorem inci-
 „dit, hinc satis esse debet Episcopis,
 „quod

Sæc. XVI
A.C. 1561.

„quod iudices in propria caussa sedeant:
„proinde diligenter curent, ut se irre-
„prehensibiles in jure dicendo præbeant;
„nam id, quod ex Dei lege, ac præ-
„ceptis judicaverint, ratum erit, præ-
„cluso adversariis ore, qui non violen-
„tia coacti cecidisse, sed amica discepta-
„tione instructi errorem agnovisse apud
„populum convincentur. (*) Cum hæc
Cancellarii oratio congregatorum non
paucis summopere displiceret, Tur-
nonius Cardinalis, utpote ceteris Præ-
fulibus senior surrexit, hujusque Viri
sermonem sibi scripto tradi petiit, ut
& ipse, ejusque Socii desuper delibe-
rare valerent: verum Rex mox Theo-
doro Bezæ suam orationem proferre
præcepit.

§. V.

Sermo Theodori Bezæ.

Thuan. l. 28.
Spond. n. 19.
Benoit l. c.
pag. 27. **T**heodorus hæreticus percepto Reginæ
mandato confestim unacum sectæ
suæ sociis in genua procumbens, leva-
tis manibus, oculisque in cælum in-
tentis

(*) Mirum sane, quod tam crassa Histo-
riæ Ecclesiasticæ ignorantia circa Concilium
Ariminense, Nestorii, & Arii gesta, alia-
que in hisce Gallis Oratoribus inveniri potue-
rit, quæ tamen in unius anni Scholari haud
toleranda esset.

tentis prolixius ad Deum preces fundebat, quibus demum orationem Dominicam subjunxit: postea vero surgens, primo Regem allocutus omnes eloquentiæ fontes exhaurire nitebatur, ut suos defenderet, eosque coram toto confessu tanquam innoxios depingeret; denique suam orationem exorsus fidei confessionem, quam suæ hæresis Sectatores tenebant, exponens, hanc in sententiam perorabat: „inique cum meis „agitur, quod tanquam turbulenti, ambitiosi, seditiosi, ac publicæ tranquillitatis perturbatores in Aula, ac Regni „curiis vulgo traducantur, cum id duntaxat agant, ut propagata Dei Gloria „fidelium Saluti, ac conscientiarum tranquillitati consulant, nec liberam conveniendi facultatem quærant, ut ea „ad libertatem, & vitam fœditate omnicon- „taminatam abutantur; nam Libertinos, Anabaptistas, & Sectariorum hujuscemodi monstra ex animo „detestantur, & unice, ut pacatis conscientiiis Deo, & potestatibus a Deo „constitutis læti serviant, conventus „suos agendi libertatem petierunt., His dictis eos doctrinæ articulos explicabat, in quibus sui cum Pontificiis conveniunt, vel dissentiunt: ut vero id manifestum redderet, palam professus est, suos credere, quod in hoc mundo nec
alia

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561. alia detur satisfactio, aut expiatio, quam Christi Domini obedientia, cœlumque mereamur unice per ejus mortem, & passionem, cum in his solum reposita sit salus nostra, soli que illius verbo standum, quoniam per solam fidem Christus Dominus nobis applicatur, quin tamen a fide charitas excludatur. His subjunxit Beza, quod nullum aliud liberum arbitrium, nisi id, quod per gratiam fit liberum, in homine detur, sola que justitiæ, & obedientiæ regula sint Dei mandata, quibus nihil addendum, nec diminuendum: opera vero evadant bona, in quantum a Spiritu Dei, qui operatur in nobis, procedunt, & quatenus per ea glorificatur Deus: porro vitam etiam æternam per gratuitum Dei donum, non autem per mercedem meritis nostris debitam a nobis acquiri inquiebat, nec minus fatebatur, quod ipsi tanquam Dei Verbum unice recipiant doctrinam in Veteri, & novo Testamento scriptam, veterum vero Doctorum, ac Conciliorum scripta cum Sacris Paginis, atque inter se concordanda sint, & aliunde cuncta, quæ illi proferunt, Sacro Codici innitantur.

Postea ad Sacramentorum materiam transiens affirmabat, quod sint signa visibilia, per quæ unio, quam cum Christo habemus, non modo nobis significatur,

catur, sed etiam a Salvatore nostro re-
 ipsa nobis offertur, & proin per Spiri-
 tus sancti virtutem rata habetur, signa-
 tur, & quasi illis imprimitur, qui per
 veram fidem id, quod eis ita significa-
 tur, & repræsentatur, recipiunt, su-
 muntque: allerebat etiam, quod in
 Sacramentis intercedat cœlestis, &
 supernaturalis immutatio, atque in cœ-
 na panis sit Sacramentum pretiosi Cor-
 poris Domini nostri Jesu Christi pro no-
 bis traditi: vinum vero sit Sacramen-
 tum pretiosi Sanguinis sui pro nobis
 effusi, hæcque immutatio non in signo-
 rum substantia, sed in usu, & fine, ob
 quem signa sunt instituta, fiat, & efficiatur
 per solam potentiam, illiusque volun-
 tatem, qui omnem hanc actionem a deo
 divinam, & cœlestem fieri præcepit,
 cujus etiam præceptum alta, ac distincta
 voce in patrio idiomate recitetur, cun-
 ctisque assistentibus clare exponatur.
 His addebat, quod panis, quem juxta
 nostrum mandatum frangimus, sit com-
 municatio veri Corporis Christi pro no-
 bis traditi, calix vero, quem bibimus,
 sit participatio veri Sanguinis sui pro
 nobis effusi in eadem substantia, quam
 Christus in sinu Virginis assumpsit, se-
 cumque ad cælos detulit.

§. VI.

Sæcul XVI.
 A.C. 1561^r

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. VI.

Theodori Blasphemice circa Eucharistiam.

Præterea circa Eucharistiam Theodorus impio ore hæc effutiebatur Blasphemias: „Transsubstantiatio nullam „habet analogiam, & nexum cum mea „fide, cum omnino adversetur Sacra- „mentorum essentia, ac naturæ humanæ „in Christo, necnon ejus Ascensionis ve- „ritati opponatur: pariter consubstan- „tatio non potest argumento ex Christi „verbis petito firmari, nec tamen pro- „pterea Christum a Sacra Cœna absen- „tem statuimus, quamvis ad locorum „distantiam tantum Christus distet a „pane, & vino, quantum supremum „Cœlum ab infima terra, eoquod nos, „& Sacramenta simus in terris, ejus au- „tem caro versetur in cœlis, & non „alibi, nos tamen participamus de ipsius „corpore, & Sanguine modo spirituali.

§. VII.

Oratio Cardinalis Iurnonii contra Bezæ Blasphemias.

Ad postrema hæc Bezæ verba omnes Prælati, cunctique hujus confessus Doctores indignitate facti summe commoti non sine fremitu exclamabant: *Blasphemavit hic hæreticus: moxque Cardinalis*

Sæcul XVI
A. C. 1561.

dinalis Turnonius his verbis Regem al-
loquebatur: „contra animi sententiam
„Antistites, qui huc adsunt, fecere,
„atque suis conscientijs vim intulerunt;
„cum in hunc congressum descenderint,
„atque in id, ut novi Evangelistæ au-
„direntur, consenserint: verum id enixæ
„Regiæ vestræ Majestatis voluntati de-
„derunt, & de expresso ejus mandato
„huc venerunt, jam antea prævidentes,
„fore, ut illi, si audirentur, multa indigna,
„& in Deum contumeliosa effusuri essent,
„quæ Regis ipsius, ac piorum omnium
„aures offenderent, ideo ab initio
„precabantur, ne Rex huic cœtui in-
„teresset: proinde nunc Majestatem Re-
„giam enixe rogo, ut iis, quæ modo
„dicta sunt, minime fidem habeat, sed
„tantisper suum iudicium suspendat,
„nec falsis eorum opinionibus animum
„suum præoccupari patiatur, donec ali-
„ter sit a Præsulibus demonstratum;
„tunc enim Majestas sua, universusque
„confessus percipiet, quodnam sit inter
„veritatem, ac mendacium discrimen:
„peto igitur diem mihi indulgeri ad
„respondendum, interea vero Maje-
„stem vestram precor, ut Majorum ve-
„stigijs in Religione constanter insistat.
„His dictis subjecit: nisi Regiæ Maje-
„statis vestræ, atque vestrorum manda-
„torum rationem habuissent Antistites,

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

M

ad

Sæcul. XVI. „ad horrenda, & abominanda illa verba,
A. C. 1561. „quæ modo pronuntiata sunt, abs du-
 „bio infurrexissent, nunquam passuri,
 „ut sermo ulterius produceretur. „
 Quinimo ipsemet Beza ob suam impie-
 tatem pudore suffusus suam petulantiam
 apud Reginam excusare, ac propositio-
 nes adeo nefandas temperare satagebat.

§. VIII.

Continuata Theodori Bezæ oratio.

Interim Regina petiit, ut Beza, prius-
 quam ejus dicta confutarentur, to-
 tum suum sermonem proferre permitte-
 retur, quapropter hic hæreticus suam
 orationem prosequens hæc addebat:
 „Meæ sectæ Alumni credunt Baptis-
 „mum esse Sacramentum institutum a
 „Deo, atque in ejus Filio Christo Jesu
 „confirmatum: ceteros vero ritus, qui
 „itidem Sacramenta in Romana Eccle-
 „sia vocantur, hoc nomine honorare
 „non possumus, cum id in sacris lite-
 „ris non reperiamus: veram tamen pœ-
 „nitentiam in absolutione, quam recipi-
 „mus, in Sanguine Christi, & in emen-
 „datione consistere profiteamur, atque
 „approbamus matrimonium in omnibus
 „illis, quibus continentiae donum non
 „est datum, ad quam tamen neminem
 „obstringere licet: recipimus quoque
 „dignitatum Ecclesiasticarum ordines,
 in

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

„in quantum Deus eos in sua Domo
 „instituit per divinum Verbum, nec in-
 „firmorum visitationes reprobamus, ne-
 „minem vero in jejunio, & ciborum
 „delectu distinguendum censemus: por-
 „ro de Ecclesiæ disciplina judicamus,
 „illam esse adeo confusum, atque ever-
 „sam, ut nullum veteris ædificii appa-
 „reat vestigium, quapropter eandem ad
 „pristinam suam puritatem, ac splen-
 „dorem revocari desideramus, simul-
 „que petimus, ut ea, quæ post Chri-
 „stum, ejusque Apostolos Verbo Dei
 „adversa fuere addita, aboleantur, su-
 „perflua rescentur, atque cuncta, quæ
 „ad superstitionem inducunt, tollan-
 „tur: cetera vero utilia, atque pieta-
 „tem foventia retineantur, & in no-
 „mine Domini observentur, quantum
 „tempori, loco, vel personis erit con-
 „veniens, ut communi ore Deo ubique
 „in Spiritu, & veritate serviatur.

§. IX.

*Epistola Bezæ suas Blasphemias apud
 Reginam excusantis.*

Cum Regina ad Bezæ propositiones, *Thuan. l. c.*
 quas circa Eucharistiam effutierat,
 exhorresceret, hinc hæreticus ille pau-
 lopost datis ad eam literis hæc expo-
 suit: „summopere doleo, quod tunc,
 „cum de Cænæ Mysterio coram Rege,
 M 2 & Re-

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

„& Regina agerem, angustia temporis
 „præpeditus sententiam meam pluribus
 „non explicaverim: audio nunc quos-
 „dam id, quod a me nuper dictum, ita
 „interpretari, quasi Christum a Coena
 „abesse asseruerim, quod impium esset,
 „& in Deum contumeliosum, cum fa-
 „tear tremendum hoc Mysterium a Dei
 „Filio institutum, ut magis, ac magis
 „participes efficiamur Substantiæ veri
 „sui Corporis, & veri sui Sanguinis,
 „atque ea ratione cum ipso arctius unia-
 „mur, & coalescamus in vitam æter-
 „nam: itaque ut iis satisfaciam, hoc
 „asserero, Deum quidem vere in cœna
 „adesse, sed non propterea ejus Cor-
 „pus, quod in Cœlo est loco, & spa-
 „tio circumscriptum, cum pane con-
 „jungi, nam ita sentit B. Augustinus, cum
 „dicit, Christum, quatenus Deus est,
 „ubique existere, quatenus homo, in
 „Cœlo: pariter Vigilus Episcopus Tri-
 „dentinus, qui mille amplius abhinc
 „annis contra Eutychem scripsit, his
 „verbis suam mentem aperuit: Unicus
 „filius Dei, qui etiam factus est homo,
 „uno loco continetur, quod ad carnis
 „naturam attinet, nec ullo loco conti-
 „netur, quod ad naturam divinitatis
 „spectat.

§. X.

Lotharingii Cardinalis oratio.

Cum

Cum Lotharingius Cardinalis Theodoro Bezæ respondere juberetur, prolixum adornabat sermonem in duas partes divisum, in quarum prima de Ecclesiæ auctoritate agens asseruit, quod illa sola in decidendis fidei controversiis iudex sit, nec solis sacris literis illæ dijudicari possint, eoquod omnino, cum eadem seipsas interpretari non valeant, necesse sit ad vivum, & loquentem recurrere iudicem, qui suprema auctoritate sua, quid in Sacra Scriptura contineatur, ac quisnam illius verus sit sensus, decidat. Postea ab initio sermonis sui de obsequio, quod Regi debetur, præfatus sic inquit: „Rex membrum, non caput Ecclesiæ est, „cujus tuendæ curam præcipuam gerere debet; ceterum in iis rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ipsi Ecclesiæ, „& ejus Ministris subjacet, nam ex Scripturæ testimonio, & usu in veteri Ecclesia recepto constat, quod Imperatores in causa fidei Episcoporum jurisdictioni, Sedique Apostolicæ subiecti sint. „

Porro Cardinalis de Ecclesia differens inquiebat, quod illa non tantum ex electis constet, cum in Domini area palea cum tritico promiscue reperiatur; Ecclesiam tamen universam errare posse negabat, si vero quæpiam singularis erraret,

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Thuan. l. c.
in æt. colloq.
Possiac. ab
spen. Script.

Sæcul XVI. raret, pro eo casu inquiebat, quod ad
A.C. 1561. Principes recurrendum sit, hoc est, ad
 Romanam Ecclesiam, & ad Univerſa-
 lium Synodorum decreta, & antiquo-
 rum Patrum inter se consentientium
 ſententias: præprimis vero Scripturæ
 testimoniis recto Ecclesiæ ſensu, & in-
 terpretatione explicatis locus tribui
 debeat, quam normam, & ordinem
 cum non tenuerint Arius, & ejus Se-
 ctarii, inde factum, ut in errorum in-
 extricabilem labyrinthum sese præcipi-
 tes dederint.

In ſecunda orationis ſuæ parte de
 articulo circa Cœnam Domini differens
 demonſtrabat, quam periculofum fit a
 recepta in Ecclesia interpretatione re-
 cedere; fieri enim poſſe ajebat, ut ex
 occasione Sacro-Sancti hujus Myſterii
 a Deo in id inſtituti, ut nos eo tanquam
 arctiori unionis vinculo ſecum conſtrin-
 geret, controverſiis haud ſolvendis, &
 diffidiis nunquam deſtituris porta aperia-
 tur, & ex eo tandem charitatis nun-
 quam deinceps inter nos ſarciendæ
 ſciſſura conſequatur, nam ſi in ea ſen-
 tentia permanerent Proteſtantes, ut exi-
 ſtiment, quod Chriſtus non aliter ab
 Aſcenſionis in Cœlum tempore inter nos
 ſit, quam antequam Carnem induiſſet,
 aut aliud Corpus, quam viſibile, nunc
 non habeat, neque aliter in Sacramento
 exiſtat,

existat, quam insit in verbi prædicatione, ac res eadem sit, Christum in Baptismo induere, & ipsius Carnem, ac Sanguinem in Cœna sumere, nec non ita in cœlis versetur, ut in terra non existat, sicque non plus in Cœna, quam in scena, aut etiam in cœno sit, nulla concordie ratio iniri poterit.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

Postea Cardinalis Catholicam sententiam exponens ait: „Nos profite-
mur, quod Corpus Christi Domini sit
secundum naturalem suam extensio-
nem in cœlis, alio autem modo in
Sanctissimo Sacramento existat, nam
Philosophia nos docet, nullam dari
contradictionem, quod unum Corpus
simul sit in pluribus locis, repugnet
tamen, quod in uno loco versetur,
& ibidem non sit: inde vero conclu-
debat Cardinalis, quod tunc, si Pro-
testantibus nil aliud, quod respondeant,
superfit, illis palam declaret, quod
ab eorum sententia tam longe distet,
quam altissimum cœlum a terra dissi-
tum sit.

§. XI.

*Communis Prælatorum applausus ad
Cardinalis orationem.*

Ad hanc Cardinalis orationem ceteri
omnes Prælati vehementer applau-
dentes uno ore profitebantur, quod in

Thuan. &
Mez. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

ea fide, quam Cardinalis exposuisset, vivere, & mori parati essent: & postea Regem, atque Reginam enixe rogabant, ut ipsi quoque in ea constanter perseverare, illamque tueri vellent: his tamen verbis adjiciebant Præsules, quod non impedirent, ut illi, qui ab ea deflexerunt, si doctrinæ modo a Lotharingio expositæ subscribere velint, ad cetera, quæ disceptanda restant, explicanda admittantur: si vero id recusent, ab omni prorsus colloquio excludendos, atque adeo e tota ditone expellendos petebant.

§. XII.

Libellus supplex a Protestantibus Regi porrectus.

Thuan. l. c. Cum Theodorus Beza a Regina peteret, ut Cardinali Lotharingio ex tempore respondendi facultas sibi daretur, Rex in alium diem Sessionem distulit: re autem longius protracta, Protestantium Ministri libellum supplicem Regi porrigunt, in quo sic loquebantur: „Regis jussu huc venimus, ut amice „sedandis diffidiis in Religionis causa „exortis cum Præsulibus conveniretur; „sed pacis, ac generis humani hostis, „& ejus emissariorum astu fit, ut affecta- „tis protelationibus tam laudabilis co- „natus non solum retardetur, verum exitu

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„exitu tandem careat: proinde petimus,
„ut Rex tam justæ causæ patrocinium,
„Josixæ, Ochoziæ, & aliorum piorum
„Principum exemplo suscipiat, ceptam-
„que in colloquio disputationem, seu
„collationem continuandi facultatem
„nobis indulgeat.„

Cum autem Protestantes suo libello
amarulenta quædam verba inseruissent,
quibus Pontificis auctoritas, & Episco-
porum fides perstringebatur, hinc fa-
ctum est, quod serius responsum sit, ac
nonnisi sollicitantibus Valentino, &
Sagiensi Episcopis tandem illis data fue-
rit cum Prælati colloquendi copia: ita-
que die vigesima quarta Septembris
Ministri numero duodecim coram Re-
gina, Navarræ Rege, ejusque Conjuge,
aliisque Proceribus sistuntur, moxque
in præcipuo Conventus cubiculo pri-
vatum instituitur colloquium, cui ta-
men nec Rex, nec Turnonius Cardina-
lis intererat.

§. XIII.

*Altera Bezae declamatio in Possiacensi
colloquio.*

Prior sermonem suum exorsus est Beza *Beza l. 4.
sibi præprimis materiam feligens p. 519.
de Ecclesia, cujus naturam, signa, & Thuan. l. 6.
auctoritatem juxta hæretica sua prin-
cipia exposuit: verum vix argumentum*

M 5

per-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

pertractare ceperat, cum illico loquentem Lotharingius Cardinalis interrumpere, sciscitans, a quonam ad prædicationis ministerium vocatus fuisset? ad hæc vero respondit Beza, se a populo fuisse electum, a civili Magistratu confirmatum, atque a Deo tanquam Ministrum esse missum. Dein Espencæus Doctor ab eo sciscitabatur, a quonam manus impositionem susceperit? ad hoc respondit Beza, quod per aliam viam Ministerium fuisset ingressus: postea continuato sermone Ecclesiam in electorum cœtu consistere, illius vero notas esse agebat verbi divini prædicationem, puram Sacramentorum administrationem, & doctrinæ, ac personarum successionem, quam sæpius interruptam fatebatur: insuper agebat de vocatione ordinaria, atque extraordinaria: differens vero de auctoritate Ecclesiæ fusius circa Concilia excurrebat, quæ interdum errare posse, imo etiam postrema errasse contendit. Denique sermonem ad Sacræ Scripturæ auctoritatem convertebat, examinans, utrum illi Ecclesia sit præferenda, an potius Ecclesia totam suam auctoritatem a Sacris Paginis derivet? quam in rem mox Espencæus hæc subjunxit: „sæpius miratus sum, qua auctoritate Protestantes, & a quo vocati, & instituti ad ministerium

„sterium essent, & cum neminem cita-
 „rent, a quo manus impositionem susce-
 „pissent, quomodo legitimi pastores cen-
 „seri possent.”

Sæcul XVI.
 A.C. 1561.

§. XIV.

*Espencæi Doctoris responsum ad
 Bezam.*

Cum Beza in suo sermone duo voca-
 tionum genera assignaverit, & ha-
 rum unam vocarit ordinariam, alteram
 vero extraordinariam, hinc Espencæus
 addidit: „manifestum est, Protestantes
 „Ministros vocatione ordinaria minime
 „institutos; cum autem ad extraordi-
 „nariam miraculis opus sit, nec ea ipsi
 „edant, necessario sequitur, nec secun-
 „dum ordinem, nec extra ordinem eos
 „in domum Dei ingressos esse: porro
 „quod ad traditiones attinet, si quando
 „de Scripturæ interpretatione exoriatur
 „controversia, nec conveniri possit,
 „procul dubio ad Patres recurrendum
 „est, quibus auctoritas a legitima, &
 „ordinaria successione conciliatur, nam
 „illis, qui legitimæ Ecclesiæ præsent,
 „Spiritus Sancti dona conferuntur, si-
 „cuti de Levitis scriptum est, quorum
 „responso in dubium revocari nefas ha-
 „beatur; insuper multa traditionibus
 „invaluere, & rata sunt, quæ in sacris
 „libris minime perscripta habentur, uti
 Patrem

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

„Patrem non genitum esse, Filium Patri
„confubstantialem, baptizandos esse in-
„fantes, Virginem Mariam etiam post
„partum Virginem permanfisse: rata de-
„nique sunt ea, quæ ab univerfalibus
„Conciliis decreta fuere; non enim in
„ea doctrina errare poffunt, & nusquam
„reperitur, quod in iis, quæ doctrinam
„fpectant, aut posteriora prioribus dero-
„gent, aut ea corrigant.

§. XV.

*Bezæ responfum ad Epinccæum, &
Sanctium Doctores.*

Hift. Eccl.
Bez. l. 4.
p. 820.
Boffvet va-
riat. i. 9.
art. 93.

Postea Claudius Sanctius verba faciens
ferme eadem, quæ Espencæus pro-
pofuerat, repetebat, iis vero Beza re-
pofuit, quod manuum impositio non fit
neceffarium legitimæ vocationis fignum,
fed essentialia figna fint electio, & in-
quifitio in mores, & doctrinam: qua-
propter haud ægre ferendum, quod ipfi
manuum impositionem non recepiffent
ab iis, quos Ordinarios vocant, cum
depravatos illorum mores, fuperftitio-
nes, & falſam doctrinam rejiciant, veri-
tatemque tueantur, quam illi im-
pugnant. His addidit, quod non fem-
per ad extraordinariam vocationem ne-
ceffaria fint miracula, idque confirme-
tur exemplo Ifaiæ, Danielis, Amos,
Zachariæ, ac denique D. Pauli. Ab-
foluto

soluto hoc Bezæ fermone, Ministri publice nomine ceterarum omnium Ecclesiarum suæ fidei confessionem porrigebant, quam regnante Henrico II. in primo suo Conciliabulo Parisiis habito procuderant, ut jam alibi meminimus. Insuper quasdam alias Wittembergensium confessiones Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono factas tradebant: nunc autem perspiciamus, qua demum ratione suam doctrinam ex communi consensu proposuerint.

§. XVI.

Fidei confessio circa Cœnam Possiacci tradita.

„Fatemur, quod Jesus Christus in cœna
 „nobis det, & vere exhibeat corpo-
 „ris sui, & Sanguinis substantiam Spiritus
 „Sancti efficacia, & nos recipiamus,
 „& edamus spiritualiter, & per fidem
 „verum illud corpus: quod pro nobis
 „oblatum, & immolatum est: ut si-
 „mus ossa de ossibus, & caro de Carne
 „ejus, ad hoc, ut eo vivificemur, &
 „recipiamus, quæcunque ad salutem
 „nostram conducunt, & quoniam fides
 „verbo Dei innixa res receptas facit
 „præsentem, ac per istam fidem recipi-
 „mus re, & facto ipso verum, ac na-
 „turale Corpus, & Sanguinem Christi
 „virtute Spiritus Sancti, hac ratione
 fate-

Sæcul XVI.
 A.C. 1561.

Bossuet l. c.
 art. 94. p. 67.
 tom. II.

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

„fatemur, & agnoscimus Corporis, & Sanguinis ipsius in cœna præsentiam: cum vero Protestantes Ministri circa hunc articulum explicationem omnino confusam, prout reipsa patet, sese dedisse cernerent, hinc sequentia addebant, *nulla locorum distantia posse impediri, quominus Corpori, & Sanguini Christi communicemus; quippe cum Cœna Domini res Cœlestis sit, & quamvis in terra accipiamus ore panem, & vinum, ut vera Corporis, & Sanguinis signa, tamen fide, & Spiritus Sancti efficacia mentes nostras, quæ hoc cibo pascuntur, in cœlum raptas Corpore, & Sanguine præsentate frui, & hac ratione dici corpus vere pani conjungi, & Sanguinem vino, sed Sacramentali modo, hoc est, minime secundum locum, aut positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea recipere.*

§. XVII.

Mutue, variaeque quæstiones inter Episcopos, & Protestantes.

Thuan. l. c. Hanc fidei confessionem Protestantes ideo porrigebant, quia Lotharingus Cardinalis eos nil nisi quæstiones ex quæstionibus suscitare, in nullo autem convenire cernebat, quapropter huic malo obviaturus unice articulo de Eucharistia tamdiu insisti petiit, donec de

de eo concors haberetur doctrina. Postea a Ministris sciscitabatur, an forte, cum circa hunc articulum Ecclesiae Romanæ, & Græcæ doctrinam rejiciant, Augustanæ Confessioni subscribere parati essent, quæ ita profitetur: *Fatemur, quod verum Christi Corpus, & Sanguis vere, realiter, & Sacramentaliter sit in Eucharistice Sacramento, ac ita offeratur, & recipiatur ab iis, qui illud recipiunt, & communicant.* Ut huic quæstioni responderent, Ministri Protestantes, bidui spatium petierunt, ac tandem die vigesima sexta ejusdem Mensis Septembris Beza scriptum recitabat, in quo suorum Sociorum vocationem vindicare conatus quæstionem sibi propositam in Episcopos retorquebat.

Sæcul. XVI.
A.C 1561.

§. XVIII.

Bezæ Scriptum Episcopis injuriosum.

„Eja, inquiebat Beza, imaginemur nobis Episcopum interrogantem nos, quo jure prædicemus, & Sacramenta administremus, nonne merito nos quoque eundem interrogare possumus, an ipse electus sit a Senioribus Ecclesiae illius, cui deputatus est tanquam Episcopus? an ipse fuerit a populo postulatus, an præcesserit inquisitio in ejus vitam, & mores, atque doctrinam? si id affirmat: probe nosci-

Sæc. XVI.

A.C. 1561.

„noscimus, id factum non fuisse: si
 „autem nobis objiciat, quod Ministri
 „non simus, quia manuum impositio-
 „nem non recipimus, eidem responde-
 „bimus, quod ipse non sit Episcopus,
 „quia in ejus institutione omissa fue-
 „runt capita, ut vocant, substantialia,
 „quæ ab ipso jure divino præscribun-
 „tur, in quo tamen dispensatio nulla
 „est: ceterum si ex eodem hoc Episcopo
 „petimus, quantum pro hac imposi-
 „tione solverit, dicet quidem, quod
 „illam non coemerit, sed duntaxat ali-
 „quot aureorum millia expenderit.„
 Postmodum Beza ad articulum de Cæna
 transiens querebatur, quod ipsis articu-
 lus de Confessione Augustana fuerit
 propositus, jussique fuissent, eidem sub-
 scribere, cum tamen huc venissent, ut
 instruerentur, validisque rationibus con-
 vincerentur: demum Cardinalem Lo-
 tharingium interrogabat, an privato suo,
 vel totius confessus nomine hanc sub-
 scriptionem ipsis proponeret? si enim om-
 nes illam subscribi postularent, tunc etiam
 ipse Cardinalis, ejusque Socii non modo
 huic articulo, sed toti Augustanæ Con-
 fessione subscribere deberent: Demum
 ingens utrinque erat altercatio, quin
 tamen quicquam decideretur: graviter
 vero querebatur Lotharingius Cardina-
 lis de Bezæ scripto, quod Præsulibus
 inju-

injuriosum, atque Regis auctoritati adversum erat: insuper rursus instabat, ut proposito subscriberent articulo, vicissim vero Beza petitionem suam, quam fecerat, urgebat: renuente autem Cardinale affirmabat, haud rationi consonum esse, ut ejusmodi subscriptio a suis peteretur.

Sæcul. XVI.
A C 1561.

§. XIX.

Petrus Martyr Italo sermone contra realem Præsentiam declamans.

Postquam Espencæus Doctor sermonem circa Cœnam inchoatum prosecutus erat, Petrus Martyr respondere conatus Italo idiomate circa Eucharistiam differere cœperat, vocemque *substantiæ*, qua Calvinus utebatur, quadam interpretatione temperans realem Præsentiam impugnabat, simulque circa totum hunc articulum sese verum Zwinglii discipulum prodebat, nihilominus tamen ad ea, quæ dixerat, parum intentæ erant ceterorum aures, eo quod omnium animi ob contumeliosum Bezæ sermonem sævere adhuc exasperati essent.

Beza l. 4.
pag. 820.

§. XX.

Laynesii Jesuitarum Generalis oratio in hoc colloquio.

Hist. Eccles. Tom. XLIV. N Inter-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Pallav. l. 15.

c. 14. n. 1.

Sacchini hist.

Soc. l. 5.

num. 202.

Intererat quoque huic colloquio Pater
Jacobus Laynesius secundus Socie-
tatis Jesu Generalis, qui Bezæ respon-
dens præprimis fermone ad Reginam
converso eidem hæc exposuit: „Potissi-
mum Sacri Codicis lectione com-
peri, periculosæ plenum esse opus
aleæ, & damno obnoxium, cum
iis colloqui, vel eos auscultare,
qui ab Ecclesiæ Catholicæ Matris
nostræ gremio sponte exciderunt,
& depravatarum sese opinionum la-
queis ultro induerunt, ac veluti trans-
fugæ a Religione Majorum descive-
runt; nec enim temere illos in sacris
litteris divinus spiritus passim, nunc
serpentes, nunc lupos, interdum vul-
pes, nonnunquam, & feras appellare
consuevit, ut nos edoceret, vitandos
esse hæreticos ob eorum hypocrisim,
artesque, quas nullo non ævo in usum
deduxerunt, sic enim olim Pelagiani,
qui gratiæ necessitatem negantes, na-
turæ quasdam vires, quas tamen non
habet, attribuebant, cum vero ab
Ecclesia ad arcta constringerentur, hanc
quidem gratiam ad pias actiones esse
necessariam profitebantur, singulis ta-
men insinuabant, quod per hanc gra-
tiam nil nisi naturam gratis a Deo
nobis datam intelligant. Alii corpo-
rum resurrectionem inficiabantur, con-
ten-

„tendentes, quod sola anima resusci- Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
„tetur, quando a gratia justificatur: in-
„terrogati autem, an carnis resurre-
„ctionem profiterentur, id affirmabant,
„nam per id intelligebant animam, quæ
„carnem resuscitat, seu corpori juncta est,
„quando per gratiam justificatur.

Postea Laynesius hæc exempla Cal-
vinistis applicat, qui Catholicam Eccle-
siam se revereri, Pastores, & Ministros
habere, Sacrorum librorum, exceptis
tamen nonnullis, auctoritatem tanquam
Divinam agnoscere profitebantur, atque
affirmabant, quod eorum Ecclesia con-
stituatur Catholicam Ecclesiam, eorum
Magistratus, & Ministri sint veri, ac
legitimi, sensusque, quem ipsi Sacris Pa-
ginis attribuunt, sit verus, & Catho-
licus, cum tamen certum, omnibus-
que compertum constet, quod nec Ec-
clesiam, nec Ministros legitimos, nec
verum Sacri Codicis sensum habeant,
sed potius pro simiis, qui Catholicos
imitari affectant, habendi veniant: porro
hoc artificio freti admittebant, seu po-
tius se admittere fingeant in Eucha-
ristiæ Sacramento præsentiam realem
Christi Domini, qui nobis vere datur:
re tamen ipsa id duntaxat intelligebant
de modo mere spirituali, & per fidem,
affirmantes, quod Christus Dominus so-
lummodo sit in cœlis, & non alibi existat.

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

§. XXI.

Sacchini.
num. 203.

Monitum Laynesii Reginae datum.

Postea Laynesius hunc in modum Reginae alloquebatur: „ea ex ratione
„mihi succurrebat Majestati vestrae re-
„media afferre duo, quorum alterum
„mihi quidem bonum videtur, alterum
„vero minime malum, & prius est, ut ve-
„stra Majestas intelligat, quod nec ipsius,
„nec humani cujuscumque Principis sit
„agitare fidei res, cum talibus Prin-
„cipibus harum rerum potestas non com-
„petat, ac insuper fere ejusmodi homi-
„nes non soleant in subtilibus, ac re-
„conditis de Religione disputationibus
„versati esse; ideo & ratio petit, ut
„fabrilia fabri tractent: Sacerdotum
„igitur est hoc negotium: quoniam vero
„res fidei causae sunt majores, ad Sa-
„cerdotem summum, ac generale con-
„cilium statuere de iis spectat, quod
„Concilium, cum in praesentia aper-
„tum sit, nec æquum, nec legitimum
„videtur conventus hos habere; idcirco
„Patres in Basileensi congregati Syno-
„do, quamdiu Oecumenicum Concilium
„durabat, sexque ante illud mensibus,
„Provincialia vetuere fieri: ergo re-
„medium, quod dicebam bonum, est,
„ut vestra Majestas illos ad Concilium
„mittat, cum ibi docti homines na-
tionum

tionum omnium convenient, & in
 eo, quod caput est, certa S. Spiritus
 præsentia, & rectio adfit, quam
 hic polliceri nobis haud quaquam pos-
 sumus: cumque Pontifex salvos, ac
 tutos præstaturus sit, si inducant ani-
 mum ire, ac doceri, quod velle se di-
 stant, multo id eo loco melius fiet,
 quamquam ut id, quod res est, di-
 cam, haud mihi isti persuadeant, velle
 doceri, sed docere, & sua late vene-
 na spargere, quippe qui loco audiendi
 alios, sesqui horas declamant. Alte-
 rum remedium, haud illud quidem bo-
 num, sed minime malum est, ut ve-
 stra Majestas, quando istorum miserta,
 ut indulgentia, & charitate erga eos
 utatur, si quo modo demereri, & re-
 conciliari Ecclesiæ queant, disputari
 vult, id fiat duntaxat coram doctis,
 exercitatisque viris, qui procul a pe-
 riculo sunt, ne inficiantur, ac pertur-
 bentur, imo coarguere, & docere
 istos queant: hac enim via vestræ e-
 stiam Majestati, & his illustrissimis
 Principibus hæc audiendi molestia
 eximetur.

Postea Laynesius ad ea respondit,
 quæ Petrus Martyr contra Sacrificium
 effutierat, cum enim hic hæreticus di-
 xisset, quod Missa sit cruenti illius Sa-
 crificii, quod factum est in cruce, imago,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

& simulacrum, & proin non possit
ibi adesse ipsemet Christus, eoquod
desinat simulacrum rei esse, ubi res ipsa
est, hanc omnem rem Laynesius hoc
simili illustrabat exemplo: „fac Regem,
„qui præclaram ex hoste victoriam re-
„portarit, ac victoriæ ejus memoriam
„instaurari quotannis velit, tunc id
„triplici via proclive erit facere: I. si
„narrari tantummodo seriem rei gestæ
„jufferit: II. si per actores simulacrum
„belli ipsum referri voluerit: III. si ipse-
„met inter actores adesse velit, atque
„eandem, quam in pugna olim subiit,
„postea in imitatione, & repræsen-
„tatione idem ipse personam subeat;
„nonne hæc unacum vera ipsius Regis
„præsentia etiam vera imago, veraque
„repræsentatio haud dubie erit: porro
„id ipsum nunc in divinisimo, & in-
„cruento Missæ Sacrificio evenit.,

Hæc Laynesii oratio ad tres horæ
partes protracta Cardinalis Ferrariensis
jussu Gallice reddita, & typis fuit im-
pressa, quam tamen hæretici, & præ-
cipue Beza cachinnis, ac sibilis explo-
dere satagebant, cum illam confutare
haud possent: ceterum illa Catholicos
plurimum in fide corroborabat, quini-
mo, si eorum Sectatores ad mutandam
animi sententiam non induxerat, saltem
plurimum ad hoc conferebat, ut hæ-
retico-

reticorum pertinacia, atque rationum
imbecillitas manifesta fieret.

Sæcul. XVI.
A.C.1561.

§. XXII.

*Hujus colloquii ratio in privatam
Conventum Sangermani habi-
tum mutata.*

Cum crebris hisce altercationibus non-
nisi tempus frustra tereretur, ac
duntaxat ea, quæ jam sæpius dicta
fuere, recoquerentur, hinc Regina aliud
inter quinque cujuslibet partis Theolo-
gos colloquium in S. Germani oppido
in Laya indici voluit: ergo Catholico-
rum nomine nominantur Joannes Mont-
lucus Valentinus Episcopus, & Petrus
de Valle Saginensis Antistes unacum
tribus Parisiensis Facultatis Theologicæ
Doctoribus, Claudio Espencæo, Ludo-
vico Butillerio, & Joanne Salignac,
quibus opponebantur Theodorus Beza,
Petrus Martyr, Marloratus, Gallafius,
& Spina, quos inter præprimis de col-
loquii ratione, loco, & tempore, nec-
non de iis, qui gesta scriptis manda-
rent, conventum est.

Thuan. l. c.

§. XXIII.

*Primum Sangermanense colloquium
circa Eucharistiam.*

N 4

Die

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Thuan. l. c.

Die prima Octobris prima habebatur
consultatio, in qua Græcum Sancti
Cyrilli Hierosolymitani Episcopi exem-
plar producebatur, ac post longam di-
sceptationem tandem Ministri Protestan-
tes hanc fabricabant fidei Confessionem:
„Fatemur Corporis, & Sanguinis Christi
„præsentiam in Sacra Coena, atque in
„ea Christum nobis offerre, & vere
„exhibere Corporis, & Sanguinis sub-
„stantiam Spiritus Sancti efficacia, &
„nos recipere, & edere spiritualiter, ac
„per fidem verum illud corpus, quod
„pro nobis oblatum, & immolatum est,
„ut simus ossa de ossibus, & caro de
„carne ejus, ad hoc, ut eo vivificemur,
„& recipiamus quæcunque ad salutem
„nostram conducunt, & quoniam fides
„verbo Dei innixa res receptas facit
„præsentem, ac per istam fidem recipi-
„mus re, & facto ipso verum, ac na-
„turale corpus, & Sanguinem Christi
„virtute Spiritus Sancti, hac ratione
„fatemur, & agnoscimus Corporis, &
„Sanguinis ipsius in Coena præsen-
„tiam,, Attamen Doctor Espencæus,
quamvis præcedentia hujus confessio-
nis verba non ita improbaret, omnino
subscribere recusavit postremæ illius
parti, quam pariter a Catholicis in
latina, & Græca Ecclesia, in Occiden-
tali, Orientali, Africana, Æthiopica,
nec-

nec non in Germania a Protestantibus Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
reprobatur iri agebat: hinc eam potius
ita concipiendam censebat: „Et quo-
„niam verbum, & promissio Dei, cui fi-
„des nostra innititur, res promissas fa-
„cit præsentem, ac virtute, & efficacia
„verbi recipimus re, & facto ipso ve-
„rum, ac naturale Corpus, & Sangui-
„nem Christi, hac ratione fatemur, &
„agnoscimus in Cœna Corporis, & San-
„guinis ipsius præsentiam.

§. XXIV.

*Fidei confessio circa Eucharistiam a
Protestantibus procusa.*

Juxta hanc mutationem Delegati ha-
bito cum Ministris colloquio, fidei
confessionem Possiacum mittebant, quæ
tamen veluti captiosa, ac insufficiens
rejiciebatur, quapropter Protestantes
aliam his verbis conceptam confarcina-
re coacti fuere: „Fatemur, Jesum Chri-
„stum in sacra sua cœna nobis offerre,
„dare, & vere exhibere Corporis sui, &
„Sanguinis sui substantiam, Spiritus
„Sancti efficacia, & nos recipere, &
„manducare spiritualiter, sacramentali-
„ter, & per fidem proprium illud cor-
„pus, quod pro nobis oblatum, & im-
„molatum est, ut simus ossa de ossibus,
„& caro de carne ejus, ad hoc, ut eo
„vivificemur, & recipiamus, quæcun-

Sæc. XVI. „que ad salutem nostram conducunt, &
A.C. 1561. „quoniam fides verbo Dei innixa res
 „receptas facit præsentem, ac per istam
 „fidem recipimus re, & facto ipso ve-
 „rum, ac naturale Corpus, & Sangui-
 „nem Christi virtute Spiritus Sancti, hac
 „ratione fatemur, & agnoscimus Cor-
 „poris, & Sanguinis ipsius in cœna præ-
 sentiam. „

(*) Sperabat Regina, hanc fidei
 Confessionem abs dubio a Prælati-
 qui Possiaci adhuc quædam in causis
 Ecclesiasticis decreta edituri agebant,
 comprobatum iri: quapropter illam per
 Burdinum secretioris Senatus Mini-
 strum die quarta Octobris ad eos trans-
 misit, qua postmodum examinata quin-
 ta post die Reginæ in responsis datum,
 quod decepta fuerit, cum posterior hæc
 Confessio non minus sit captiosa, insuf-
 ficiens, & hæretica, quam prior: por-
 ro hoc Præsulum iudicio Regina valde
 perterrita hæsit; credebat enim, jam-
 jam Catholicos inter, & Calvinistas u-
 nionem esse confectam.

§. XXV.

(*) Observes velim, quod hæc fidei Con-
 fessio in nullo a priori differat, nisi quod in
 hac postrema additum sit verbum *sacramenta-*
liter, hinc ex Thuano colligimus, a Conti-
 nuatore perperam alteram hanc confessionem
 referri.

§. XXV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

*Hæc fidei Confessio tanquam captiosa,
& hæretica a Theologica Facul-
tate Parisiensi rejecta.*

Ut Possiacenses Prælati de sui iudicii æquitate magis certi essent, eandem Calvinistarum confessionem ad Parisiensem Facultatem Theologicam ibidem examinandam transmiserunt: Verum Doctores cunctis verbis, ac loquendi modis nature ponderatis idem cum Prælati iudicium ferebant, unanimi suffragio decidentes, quod illa esset captiosa, insufficiens, ac hæretica, & quidem captiosa, eoquod illius verba ambiguum in se sensum continerent, ac stabilire viderentur realem præsentiam, quam tamen alia ejusdem verba destruerent: insufficientem etiam illam censebant, cum realem Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam sub panis, & vini speciebus non exprimat, nec ullam vim sacramentalibus Verbis, ac sacerdotibus consecrantibus tribuat: denique hæreticam dicebant, eoquod nonnisi spiritualem præsentiam, seu in fide admittat.

§. XXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XXVI.

*Alia fidei Confessio a Prælatiſ ad
Reginam tranſmiſſa.*

Hæc cenſura, poſtquam ab Episcopis fuerat examinata, die nona Octobris ad Reginam transmittabatur unacum quadam epistola, in qua Præsules fusius enarrabant, quod tam in publicis, quam privatis colloquiis, ut Calvinistæ ad veræ fidei semitam, finumque Ecclesiæ revocarentur, nil intentatum fuerit relictum, eorumque errores, ac blasphemiam fuerint conſutatae, sine ullo tamen fructu, „hinc, inquebant Præsules, ad sacram Majestatem vestram „transmittimus fidei confessionem circa „Eucharistiam, cui ut subscribant, ac „seſe ſubjiciant, compellendi ſunt Calvinistæ: si vero id renuerint, tanquam „homines haud sanandi, atque in ſuis „erroribus, ſuaque contra Ecclesiam „rebellionem obſtinati de regno Chriſtianissimo, in quo nulla unquam hæreſis fuit tolerata, extirpandi ſunt. „Porro confessio, quam Præsules confecerunt, fuit hæc: „Credimus, ac profitemur, quod in Sanctissimo Altaris „Sacramento verum Corpus, & Christi „Sanguis ſit realiter, & tranſſubſtantialiter ſub ſpeciebus panis, & vini per „virtutem, & poteſtatem divinam verbi „a Sa-

„a Sacerdote prolati, tanquam solo Mi-
 „nistro ad id ordinato juxta præceptum,
 „& institutionem Christi Domini.,”

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

§. XXVII.

*Calvinistarum Confessio ab iisdem Præ-
 sulis reformata.*

Postea iidem hi Præsules posteriorem
 Calvinistarum confessionem, quæ ad
 Reginam fuerat transmissa, hac ratione
 emendabant. „Credimus, ac confite-
 „mur, quod Sacerdos Minister a Chri-
 „sto Domino ordinatus, in Sanctissimo
 „Altaris Sacramento det verum Cor-
 „pus, verumque Christi Sanguinem sub
 „speciebus panis, & vini, & hoc quidem
 „per virtutem efficacem verborum, qui-
 „bus Christus in Institutione hujus
 „Sacramenti usus est. Profitemur e-
 „tiam, quod nos teneamus, & mandu-
 „cemus verum Corpus, sacramentali-
 „ter, spiritualiter, & vere ad salutem
 „nostram, si per fidem, ac sufficienter
 „probatis nostris conscientis illud re-
 „cipimus, secus autem illud manduce-
 „mus ad damnationem nostram: quo-
 „niam vero fides, quæ Verbo Dei inni-
 „titur, res promissas facit præsentem,
 „nam siue credamus, siue non, verbum
 „tamen suam exerit virtutem, hac ra-
 „tione fatemur veram, & realem præ-
 „sentiam Christi Domini, quem non mo-
 „do

Sæcul. XVI. „do boni, verique fideles, sed etiam
A.C. 1561. „infelices hypocritæ, qui veram, rectam,
 „que fidem non habent, recipiunt. „ Hoc
 Præfulum responso obstupefacta hæsit
 Regina non minus, ac Protestantes Mi-
 nistri, qui ad Præsules mox aliam ver-
 bis magis ambiguis conceptam trans-
 mittebant fidei suæ confessionem: attamen
 Præsules insuperhabitis Reginae
 precibus in ea animi firmitate, quæ E-
 piscopis, quoties de veritate agitur, in-
 nata esse debet, immoti persistebant, ac
 iudicium auctoritatem, qua prius Regi-
 na circa Ministrorum postulata illos
 exuere nitentur, rursus sibi vendica-
 bant, eapropter, cum Protestantes sese
 Confessioni circa Eucharistiam pu-
 re absque eo, quod illam aliquatenus
 mutarent, subscribere renuerent, cele-
 bre colloquium Possiacense solutum fuit.

§. XXVIII.

*Germanicæ Protestantes serius ad
 colloquium adventantes.*

Thuan. l. 28. Jamjam colloquio finis dabatur, cum
Bez. hist. eccl. l. 4. p. 719. Joannes Andreas, & Jacobus Buclius
La Popelin. l. 7. Lutheranorum Ministri a Wirtem-
 bergensi Duce, necnon Michael Dillerius,
 & Petrus Boquinus a Principe Palati-
 no submissi adventarent, ut & ipsi di-
 sputationibus interessent: cum ergo se-
 rius adessent, Parisiis substitere, ubi Ja-
 cobus

cobus Buclinus exeunte Mense Octobri
contagiosa lue correptus decessit.

Sæc. XVI.
A C. 1561.

§. XXIX.

*Cassiandri liber de conciliandis ani-
mis a Balduino in Franciam
delatus.*

Porro in consultatione die vigesima
quarta Septembris celebrata Prote-
stantes deliberationem, quam ante tri-
mestre Wirtembergenses Ministri habe-
bant, porrexerunt, moxque fama per-
crebuit, quod eandem hanc delibera-
tionem soluto Possiacensi colloquio ce-
lebris Jurisconsultus Franciscus Bal-
duinus in Franciam detulerit. Hic i-
dem Doctor aliquamdiu Genevæ, &
postea Heidelbergæ jurisprudentiam
professus inde Parisios venerat, ut pa-
cis viam in Religione ineundam quæ-
reret, quam in rem secum detulit cele-
bris Cassiandri librum, cui titulus: *De
Officio pii Viri in hoc Religionis dissidio*:
porro hoc opus Balduinus pluribus o-
stendebat, atque ex ejus principiis de-
sumendam pacis constituendæ, & con-
cordiæ ineundæ normam dicebat: Ve-
rum pia ejus evertabantur consilia,
quippe Protestantes, qui Balduinum
tanquam sectæ suæ desertorem abomi-
nabantur, insanis furiis tumultuaban-
tur

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.
tur adversus hunc librum, quem a Balduino compositum credentes damnarunt: Calvinus quoque calamum suum adversus eum acuit, cui tamen Balduinus respondit in quadam præfatione Optati operibus præfixa, necnon in alio tractatu studiose in legem *de libellis famosis* edito, in quo se Authorem libri *de Officio pii hominis &c.* esse negabat: nihilominus Calvinus denuo virulento admodum scripto respondit: postquam vero Cassiander sese Auctorem fatebatur, non minus alii in eum insurgabant, imo ipsi etiam Catholici hunc librum confutabant, atque inter alios præcipue Joannes Hesselius, Bredembachius, & Robertus Cenalis. Ceterum Cassiandri consilium a Viris moderationis studiosis valde probabatur, ac Germaniæ Principes censebant, quod præter ipsum nullus alius dissipandis dissensionibus magis aptus fuisset: verum nec ab his, nec ab illis receptus fuerat.

§. XXX.

*Trecensis Episcopus a Petro Martyre
reduce seductus.*

Thuan. l. c.
Camusat. antiq. Tricass.
San Marth.
in Gall.
Christ.

Soluta itaque colloquio Ministri, qui Possiaci erant, honorifice dimittebantur, ac imprimis Petrus Martyr, cum per Trekas domum rediret, Joannem Antonium Carraciolum, qui ex Abbate

S. Vi-

S. Victoris Parisiensis ad Tricassinum Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
Episcopatum nominatus fuerat, invisit.

Erat hic Præsul eruditione conspicuus, novæ tamen sectæ admodum propensus occulto favore Protestantes prosequeretur, tantumque efficiebat, ut libere citra ullam molestiam suos cœtus haberent; cum autem ei Petrus Martyr animi anxietatem injecisset de vocatione sua, eoquod non Ecclesiæ, ac populi suffragiis electus esset, hinc Protestantium Ecclesiæ Seniores evocabat, rogabatque, ut pie, ac prudenter inquirerent, an eum eligere, ac pro legitimo deinceps Episcopo habere vellent? nec ullo pacto blandirentur, si enim eum minus idoneum ad hanc dignitatem censerent, se libenter loco cessurum ajebat: Ergo re inter eos discussa omnium consensu electus, & denuo ad suum Episcopatum nominatus fuit, necnon Calvinii hæresin suæ Diœcesis populo in concionibus propinabat, prius tamen egregium sui erga hæresin studii specimen dabat, cum sese sacrilegis nuptiis pollueret: itaque ceteri Præsules tam nefandi facinoris indignitate commoti, ac tam perversi exempli funestos successus veriti apud Regem querebantur, a quo etiam e sua Diœcesi ejectus Castellum novum ad Ligerim secedere cogebatur, quam ditionem olim Fran-

Hist. Eccles. Tom. XLIV. O ciscus

Sæc. XVI. ciscus I. ejus Patri Joanni Caracciolo
A.C. 1561. Melphitano Principi dono dederat: ubi etiam obiit Joannes Antonius Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

§. XXXI.

*Padta Regem inter, & Clerum eidem
 multa millia numerantem.*

*Recueil generalis des
 affaires de
 Clerge tom. 2
 part. I. an.
 1636. impr.*

Colloquio ad finem vergente Episcopi aliquamdiu adhuc Possiaci hærebant, ut illi, cum Rex summam a Clero promissam sibi numerari vehementer urgeret, de congregandis hisce pecuniis deliberarent: itaque feria tertia die decima quarta Octobris Cardinales, atque Episcopi cum Rege paciscebantur, polliciti, quod intra sexennium Clerus Majestati suæ novem, ut vocant, milliones præter sexcenta librarum millia duodecim solutionibus, quarum quævis quolibet semestri fieret, ita numerare vellent, ut a prima die proximi mensis Januarii initium duceretur, & decimarum exactione, vel alio modo tota summa Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo die ultima Septembris persolveretur: insuper conventum, ut qualibet solutione, quæ quovis semestri fieret, octingenta librarum millia pro reluendis regis Majestatis suæ prædiis, tribut-

butorum curiis, ac vectigalibus postre-
 mis Mensis Martii, & Septembris die-
 bus penderentur, & tam tota hæc
 subsidii summa, quam solutionis tem-
 pora omnino observarentur sub iis con-
 ditionibus, & oneribus, quæ imponere
 necessitas suadebit, ac Clerici sustinere
 poterunt juxta mandata, ac monita,
 quæ ipsis data fuere tam a præcipientibus,
 quam a Cleri Deputatis, per quos
 distribuatur summa, quam ipsis a Cle-
 ricis exigere licebit ultra quartam par-
 tem decimarum, quæ, ut præfato Cle-
 ricorum Ordini, Archiepiscopis, Episco-
 pis, Capitulis, & Beneficiatis imponan-
 tur, concessæ fuerunt. Hoc pactum in
 arce sancti Germani in Laya die vige-
 sima prima Octobris fuit sigillo firmatum,
 ratumque habitum.

§. XXXII.

Jesuitæ Parisiis stabiliti.

Ceterum ex præcipuis commodis, quæ
 Pater Laynesius ex suo in Franciam
 itinere, necnon sua in Possiacensi col-
 loquio præsentia reportaverat, haud in-
 finum fuit, quod Prælati, ad quos Pos-
 siaci congregatos Senatus regius exa-
 men, ac decisionem obstaculorum Socie-
 tatis Parisiis stabiliendæ confirmatio-
 nem hucusque præpedientium remise-
 rat, in favorem Jesuitarum rem decide-
 rint,

Sæcul. XVI rint, eorumque Societatem Parisiis fir-
A.C. 1561. matam confirmarint, omnia pariter Cla-
romontani Episcopi bona eisdem adju-
dicantes, quæ ipsis Senatus adimere
moliebatur, quamvis ea illis relinquere
quatuor, vel quinque mandatis Regiis
jussus fuisset: itaque Præsules præfa-
tum institutum tanquam societatem, ac
Collegium, non autem veluti Religio-
nem recens institutam approbant, ad-
jecto tamen eo onere, ut hujus So-
cietatis membra aliud, quam Societa-
tis Jesu, vel Jesuitarum nomen adopta-
re teneantur, necnon Episcopus Dico-
cesanus plenam in dictam Societatem,
& Collegium inspectionem, ac jurisdic-
tionem habeat, vi cujus ex præfata So-
cietate sceleratos, aut dissolutis mori-
bus infames ejicere, ac expellere va-
leat. Hæc sunt propria verba, quibus
Conventus Possiaci habitus utebatur
in tabulis, per quas hæc Societas Jesu
in Galliis fuit recepta, atque approbata,
eaque gesta fuere ante Colloquii exitum
die decima quinta Septembris
Anno a Christi Nativitate millesimo
quingentesimo sexagesimo primo.

§. XXXIII.

*Conditiones, sub quibus Jesuitæ
recepti.*

Infu-

Infuper in iisdem tabulis adhuc aliæ præscribentur conditiones, quæ erant sequentes. I. Hujus Societatis Fratres nec in sacris, nec in profanis rebus quicquam aggrediantur, aut perficiant cum præjudicio Episcoporum, Capitulorum, Curatorum, Parochiarum, & Universitatum, vel aliarum Religionum, sed sese ad communis juris dispositionem componere teneantur. II. præprimis, ac speciatim omnibus privilegiis, quæ ipsis circa præfata his conditionibus contraria in eorum Bullis concessa fuere, renuntient: si vero id facere recusaverint, aut in posterum alias ejusmodi Bullas obtinuerint, hæc receptio, & approbatio erit irrita, nulliusque valoris, & efficaciam, salvo tamen jure præfati Conventus, vel cujuscunque alterius, in omnibus hisce rebus. Hæ tabulæ receptionem, atque approbationem prædictæ Societatis concernentes unacum impositis oneribus, & conditionibus, quæ in dicta declaratione, & approbationis literis continentur, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo die decima tertia Februarii fuere ad acta relatæ.

§. XXXIV.

Limitatus Parisiensis Episcopi consensus.

O 3

Parisi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

*Abregé des
actes & me-
moir des
affaires du
Clergé de
France Paris
chez Leo-
nard. 1680.
p. 129.*

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

Pariter Parisiensis Episcopus, ut præfatae literæ, ac Bullæ confirmentur, rataeque habeantur, consensit, ea tamen lege, ut præfati Fratres nec ullam jurisdictionem Episcopalem exercere, aut prædicare, vel absque licentia, & eorum Episcopi consensu Verbum Dei annuntiare valeant: si vero de quodam Beneficio Ecclesiastico etiam curato fuerint provisi, ob onera ipsis imposita coram præfatis Episcopis absque ulla literarum expeditione respondeant, eorundemque Episcoporum visitationi subiaceant, nec ullum Sacramentum, nequidem Confessionis, & Eucharistiæ administrent absque speciali licentia illius Parochi, cui subjecti sunt ii, quibus dicta Sacramenta administrare voluerint, ita tamen, ut præfatis Parochis, nec in sacris, nec in profanis, nec circa oblationes, sepulturæ jura, neque alia ejusmodi, quæ in eorum Ecclesiis, aut Sacellis peragent, ullum inferant damnum: insuper Episcopus eis prohibuit, ne sacras literas publice, vel privatim tradant, aut interpretentur, nisi prius a celeberrimum Universitatum Facultate Theologica fuerint examinati, ea tamen lege, ut exinde aliis sacris Ordinibus, atque Institutis nullum accrescat præjudicium: præterea professos præfatorum Ordinum Religiosos nullatenus ad suam Socie-

Societatem attrahere, vel recipere possint, nec novas condere Constitutiones, vel jam conditas, atque a Conventus Secretario subscribendas immutare, aut corrigere ipsis integrum relinquatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

§. XXXV.

*Disciplinæ decreta in Conventu Possi-
fiacensi condita.*

Insuper Possiacciensis Conventus Prælati alia quædam disciplinæ Ecclesiasticæ decreta in variis Regni Diæcesibus observanda condidere, quorum primo circa Episcoporum promotionem sanciebatur, ut nomen illius, qui a Rege ad aliquem Episcopatum nominandus esset, valvis Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel in aliis locis affigatur, ut quilibet declarare possit, an in illo quidam reperiantur nævi, ob quos ad tam sublimem dignitatem inhabilis foret: præterea statutum, quod inculpatæ vitæ fama clarus existat, & in Capitulo fidei professionem præsentante suo Metropolita emittat, postea vero Papæ literas, quibus Episcopatum obtinuit, acceptet: si ex adverso testes contra eum deponerent, tunc Regi liberum erit, ad hunc Episcopatum, prout bene visum fuerit, alium nominare: de cetero autem Episcopi ex legitimo connubio na-

Sæcul. XVI. ti triginta annorum sint, necnon intra
A.C. 1561. femestre, quod a die electionis a sacra
 Sede obtentæ computetur, ab Archi-
 episcopo, & duobus, vel tribus Provin-
 ciæ Episcopis, si Archiepiscopus advoca-
 ri nequiret, inaugurentur.

Alterum decretum de Residentia a-
 gens Archiepiscopis, atque Episcopis in-
 junxit, ne a suis Diocesibus abessent,
 sed potius in præcipua urbe sua, quan-
 tum fieri poterit, sedem suam figant: si
 vero ultra trimestre absentes fuerint,
 de sua absentia Metropolitanæ, si autem
 ipsimet sint Archiepiscopi, tunc vicini-
 ori Episcopo rationem reddant: præte-
 rea admonebantur, ut sacræ Scripturæ
 studio incumbant, ac Dei Verbum po-
 pulo suo annuntient vel per se, vel per
 Viros sana doctrina claros, atque huic
 muneri digne obeundo idoneos: Epif-
 copalia tamen munia per seipsos exer-
 ceant, nec Episcoporum Suffraganeo-
 rum opera utantur, neque etiam pro lite-
 ris, quas vocant, dimissoriis quicquam
 accipiant, eas autem soli Episcopi titu-
 lares, vel Capitula Sede vacante pos-
 sint duntaxat concedere iis, qui curata
 habent beneficia, ita tamen, ut intra
 annum sacris Ordinibus initientur. Pa-
 riter Episcopi Diocesese suas lustrent, ac
 singulis annis Synodos celebrent, &
 quolibet triennio Archiepiscopi Provin-
 ciale

ciale Concilium convocent: insuper E-
 piscopi unacum quatuor Canonicis Se-
 nioribus exemptorum causas dijudi-
 cent, curatis autem a casibus reservatis
 absolvendi facultas detur: de cetero
 omnes libri typis imprimendi Autho-
 ris, & typographi nomen præferant,
 sintque Episcopi jussu approbati. De-
 nique Basileensis Conventus decretum
 circa excommunicationes fuit innova-
 tum, sancitumque, quod duntaxat pro-
 pter graves causas, ac nonnisi præ-
 missa trina monitione anathemata pro-
 nuntiari valeant, Regisque patrocinium
 imploretur, ut illos, qui per integrum
 annum excommunicatione irretiti per-
 manebunt, ad carceres detrudi jubeat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Tertium decretum agit de dignita-
 tibus, & Personatibus, qui nonnisi ido-
 neis conferantur subditis, dummodo re-
 ipsa illius Ecclesiæ, cujus sunt dignita-
 tes, Canonici existant, iique saltem vi-
 ginti annos nati residere teneantur: Ar-
 chidiaconi vero exacte suas peragant
 visitationes, quibus absolutis rationem
 reddant Episcopis, atque ad eos majo-
 ris momenti causas remittant, quin ipsi
 censuras Ecclesiasticas infligere valeant.

Quarto decreto, quod Canonicos
 concernit, illis octodecim annorum æ-
 tas præscribitur, atque residere jubentur,
 exceptis junioribus, si adhuc in qua-
 dam

Sæcul. XVI.
A.C 1561.

dam Universitate studiis vacaverint: porro Cathedralis Ecclesiæ Theologi suas prælectiones, quibus Canonici assistant, accurate habeant: cum vero juvenes hi Canonici vigesimum ætatis annum attigerint, sacris Ordinibus initientur, ac singulis diebus Dominicis, festisque solemnioribus, ut populo pietatis suæ exemplum præbeant, sacram Synaxin in solemniori sacro recipiant, & Curati suarum Parochiarum possessionem non adeant, nisi prius ab Episcopo, & senioribus Canonicis fuerint examinati, atque approbati: Ceterum hi, qui ex Sedis Apostolicæ privilegio ad beneficia curata vocantur, hisce gratiis non utantur, nisi prius illas exhibuerint Episcopo, qui de æquitate causæ judicet, simulque, an ejusmodi privilegia in Episcopi præjudicium non cedant, pronuntiet: intra annum autem Parochi sacrum Presbyteratus Ordinem recipiant, atque diligenter resideant, & frequenter etiam sacris operentur, nihilque pro Sacramentorum administratione recipiant, nec non suo gregi Evangelium explicant, modumque orandi edoceant.

Quintum decretum pro Sacerdotio viginti quinque annorum ætatem assignat, præcipitque, ut exhibeatur vel beneficii, vel patrimonii titulus, Episcopus

copus tamen illis, quibus sacros Ordines confert, Ecclesiam, vel locum pro exercendis ordinis sui functionibus assignare teneatur: si vero hunc locum absque ejus consensu dimitterent, interdicto subjaceant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sextum decretum respicit Monachos, quorum Professioni decimus octavus, Religiosarum vero Virginum decimus sextus ætatis annus præscribitur: jubentur quoque Abbates, & Piores monasteria lustrare, atque in Regularis, & Monasticæ disciplinæ studium inquirere, Monachosque corrigere: Episcopi vero corrigant ea, quæ doctrinam, aliaque crimina concernunt: iidem tamen tanquam Sedis Apostolicæ Delegati (*) illos quoque, qui nulli Superiori

(*) Cum Continuator Synodum Tridentinam in Galliis non fuisse receptam licet perperam asserat, mirum plane videtur, quomodo Franciæ Episcopi Sedis Apostolicæ delegatorum auctoritate pollere potuerint, cum tamen idem Continuator referat, quod prima vice in Concilio Tridentino a Papa Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati fuerint instituti: certe Possiacensis Conventus hanc prærogativam suis Episcopis attribuere haud poterat, quapropter haud temere conjici potest, quod Continuator pleraque decreta in suo

cere-

Sæcul. XVI. riori subjacent, visitent. Denique in fi-
A. C. 1561. ne hujus Decreti Monachis studium, &
 Religiosis Virginibus clausuræ custodia
 commendatur.

In septimo decreto Abbates, & Prio-
 res Commendatarii saltem infra seme-
 stre, postquam hæc beneficia obtinue-
 rint, sacros Ordines recipere jubentur,
 atque media anni parte in suis benefi-
 ciis residere, vitamque regularem du-
 cere, ac Religiosam disciplinam ibidem
 conservare admonentur: insuper Ordinis
 Superiorem eligendi jus illæsum ser-
 vatur, ac statuitur, ut in quolibet Ordine
 quatuor dentur Abbatix, quæ tan-
 tum a Regularibus possideantur.

Cetera decreta nil nisi præcepta
 quædam circa Divinum Officium, Ec-
 clesiæque ritus continent, simulque pro-
 hibetur, ne sub sacro solemni Missæ pri-
 vatæ dicantur, aut Concio habeatur:
 Sacerdotes vero monentur, ut sese, prius-
 quam Altare accedant, probe disponant,
 exacte Sacrificii verba pronuntient, ac
 cum gravitate & decentia ritus pera-
 gant: cantilenas quoque alias, quam
 hymnos, & sacra Cantica ad organorum
 pulsum

cerebro fabricaverit ad ostentandum reformatio-
 nis studium, præcipue cum nullum omnino
 Authorem referat, nec Thuanus, vel alii Scri-
 ptores de hisce decretis mentionem faciant.

pulum decantare prohibentur, ac insuper sancitur, ut Officii Ecclesiastici Codices emendentur, & corrigantur, nec in Sodalitatibus convivia, festaque instituantur. Denique præcipitur, ut omnes superstitioni usus aboleantur, populusque moneatur, quod sacræ imagines ex se ipsis nulla polleant virtute, sed in Ecclesia ideo duntaxat exponantur, ut Christi Domini, ac Sanctorum memoriam refricent: de cetero autem solus Deus sit adorandus, Sanctique velut ejus Amici sint honorandi: eapropter etiam statutum, ut Imagines, quæ quicquam aut indecens, aut risu dignas, vel commentitias historias repræsentant, penitus ab Ecclesiis eliminantur.

§. XXXVI.

Fidei professio ab eodem Conventu stabilita.

Absolutis hisce decretis annectebatur Fidei Professio hujus tenoris: „Firma fide credimus, ac profitemur, quod verum Christi Corpus, verusque Sanguis realiter, & transsubstantialiter sub speciebus panis, & vini per virtutem Verbi Divini prolati a Sacerdote, qui solus est Minister ad hoc juxta Christi Domini legem ordinatus, præsens sit: fatemur etiam, quod Veteris, & Novi Testa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

„Testamenti Scripturæ divinitus sint in-
„spiratæ, ac nonnisi unica detur Eccle-
„sia Catholica, & Apostolica sub uno
„solo Christi Vicario, cujus fidem tene-
„re adstringimur: reverenda etiam est
„certa, ac minime dubia Conciliorum
„Generalium auctoritas, nec in dubium
„vocari possunt ea, quæ ab illis fuere de-
„finita: servandæ sunt quoque tradi-
„tiones Apostolicæ, sanctorumque Pa-
„trum Orthodoxus sequendus est sen-
„sus: Constitutionibus, ac præceptis
„Ecclesiasticis obediendum, necnon se-
„ptem Sacramenta, quoad eorum usum,
„virtutem, ac fructum sunt recipienda,
„eo modo, quo Ecclesia semper ea ad-
„misit, ac hucusque recepit: denique
„exacte omnia ea, quæ Nostri Majores
„religiose, sancteque observarunt, re-
„tinemus, cunctasque cujuscunque ge-
„neris novitates horrore habendas du-
„cimus, atque monemus, a schismate
„esse cavendum, omnesque hæreses de-
„testandas, præcipue vero Zwinglii, Cal-
„vini, aliorumque sectariorum, sicut &
„Anabaptistarum errores. „

§. XXXVII.

*Episcoporum libellus supplex circa
usum calicis Regi porrectus.*

Promulgatis hisce decretis Præfules
ea, quæ statuta fuere, a Rege con-
firmari

firmari petebant, & postea die vigesima
 quinta Novembris Possiaco discesserunt:
 verum Regina Colloquium re infecta
 solutum ægerrime ferens, existimabat,
 Calvinistas ad saniora esse reducendos,
 si eis hi duo articuli, qui sacerdotum
 matrimonia, & Laicorum sub utraque
 specie communionem concernunt, con-
 cederentur: quapropter Episcopos in-
 ducere nitebatur, ut porrecto libello
 supplici Regem exorarent, quatenus u-
 trumque hunc articulum apud Papam
 urgeret. Ast potissimi Possiacensis Con-
 ventus Prælati, aliique plures hanc Re-
 ginæ petitionem haud gravibus obno-
 xiam censebant difficultatibus, atque i-
 deo ejusmodi libellum esse tradendum
 consentiebant: verum plures aderant,
 qui pro obtinendo communionis sub u-
 traque specie usu Romanæ Ecclesiæ
 consensum haud necessarium fore judi-
 cabant, hancque consuetudinem per Re-
 gis edictum revocari posse ajebant,
 eoquod per nullum decretum, aut Ec-
 clesiæ Canonem, sed duntaxat per con-
 trariam consuetudinem calicis usus fuis-
 set ademptus, qui sensim invaluisset:
 de cetero autem nulla reperiatur lex
 in jure Ecclesiastico, vi cujus pristinum
 usum redintegrare, Episcopi prohiberen-
 tur: Verum potissimi ex Præsulibus
 adversæ suffragabantur opinioni, in tam
 peri-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI. periculosa re omnino Sacræ Sedis con-
A.C. 1561. filium esse expetendum arbitrati.

§. XXXVIII.

Papa per Regis Oratorem hac de re sollicitatus.

*Memoir.
 pour le Con-
 cil. de Trente
 p. 99. & suiv.*

Itaque Rex Romam ad Insulanum, qui erat ipsius Orator, hac de re literis die vigesima quarta Octobris datis eisdem negotium dedit, ut de soluto Poffiacensi conventu quantocius Papam edoceret: postea tamen Oratori suo injunxit, ut urgente Gallici Regni necessitate Papam sollicitaret, quatenus sacram Cœnam sub utraque panis, & vini specie sumendi facultatem populo tribueret, donec id in Synodo decidetur; eoquod olim idem in primitiva Ecclesia observatum fuisset. His addidit Rex, si vero objiceretur, hanc petitionem in Conciliis fuisse rejectam, tunc respondendum, quod summus Pontifex, cum in plurimis rebus toti regno minus proficuis toties, quoties libuerit, legis gratiam faceret, etiam in hoc maximi momenti negotio suæ potestatis plenitudine, suaque auctoritate uti posset, toti Orbi palam facturus, quantopere pacem, ac Franciæ tranquillitatem exoptaret, cum illa hoc pacto magis certa redderetur: Ceterum Rex de altero articulo, quem Præsules circa Sacerdotum

tum matrimonia libello suo inferuerant, nullam fecit mentionem.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. XXXIX.

Gallici Oratoris responsum ad Regem.

Orator recepta Regis epistola mox ad Papæ alloquium admitti petiit, illudque die sexta Novembris obtinuit, cumque Pius IV. Pontifex Regis petitionem primo non omnino rejecisset, Orator rescripsit, quod cum Papa agere cœpisset, ab eoque hoc tulisset responsum: „Semper ea mihi animo meo insedit opinio, quod hic articulus æque, ac ille de Sacerdotum matrimonio (*) „ non

*Mem let. du
Pisle au Roy
du 6. Nov.
p. 110.*

(*) Totum hoc responsum mere confictum esse constat, si enim Rex de connubio Sacerdotum in Oratoris epistola nullam fecit mentionem, quis credat, quod Pontifex ipse de re tam periculosa sponte sua mentionem injicere voluerit? ubinam etiam legitur, quod hic Papa in nupero conclavi ob hanc opinionem pro Lutherano fuerit habitus? apage cum istis fabulis, quas satis frequenter in privatorum scriptis, quæ Gallice *Memoires* vocantur, reperire est, ubi hæreticorum argumenta subdole proponuntur, ac commentitia Pontificum, vel aliorum Virorum illustrium auctoritate fulciuntur.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

P

Sec. XVI.
A.C. 1561.

„non nisi juris sit Ecclesiastici, proin-
„mutari possit: attamen cum in nupe-
„ro conclavi hanc meam mentem par-
„derem, a nonnullis pro Lutherano ha-
„bitus sum: quapropter hac in re, quin-
„cum Cardinalibus fratribus meis con-
„feram, nil decidere volo: fidem ta-
„men facio, quod propterea proxime
„Patrum Senatum convocaturus sim.
„Equidem, addebat Pontifex, Maximi-
„lianus Bohemæ Rex Filius meus
„eandem quoque petitionem interposue-
„rat; nolebat enim Religione ductus,
„hoc Sacramentum alio, quam Christus
„Dominus instituisset, modo recipere,
„quam eandem gratiam postea Cæsar
„suorum subditorum nomine a me pe-
„tiit: verum Cardinales semper eorum
„precibus obstitere.„ Hæc a Papa fuis-
„se responsa rescripsit Orator, qui se ei-
„dem hæc opposuisse Regi nuntiabat:
„Ego cum tanta rationum vi summo
„Pontifici damna, quibus Franciæ Re-
„gnum exponeret, proposui, totamque
„rem adeo sigillatim explicavi, ut Re-
„giæ suæ Majestatis voto plene satisfa-
„ctum iri sperem.„

§. XL.

*Regis Franciæ petitio a Pontifice
omnino rejecta.*

Enim-

Enimvero summus Pontifex die decima Novembris Patrum Purpuratorum Senatum habuit: quapropter Insulanus Regis Orator Cardinales unomnes esse congregatos edoctus, ipso quoque accessit, ac cum eis de negotio sibi demando contulit, verum nihil impetrare potuit; illi enim, qui ceteris moderatione prævalebant, responderunt, in tanto negotio maturam adhibendam esse deliberationem, atque sine seria discussione rem haud dijudicandam: se tamen, quicquid salva Religione fieri posset, acturos, quamprimum a Pontifice requisiti fuerint. Verum Cardinalium potissimi hanc rem Ecclesiae summopere noxiam fore censebant, atque prae ceteris Cardinalis Sancti Angeli palam testabatur, se nunquam consensurum, ut medicinae loco Gallis tam periculosum propinetur venenum, cum praestet, ut potius absque tali remedio morerentur: porro incassum Orator reponebat, quod legis gratia duntaxat sese ad utriusque speciei usum extenderet, non autem ad id, quid de qualibet credendum sit: verum illi, qui eum loquentem exceperant, magis intenti erant, ut ei contradicerent, quam illius rationes ponderarent. (*)

P 2

Post-

(*) Perinde acsi rationes pro usu Calcis
jam

Saecul. XVI.

A. C. 1561.

Mem. l. c.

lett. du

9. Decembr.

p. 115. &

suiv.

Sæcul. XVI.A.C. 1561.

Postmodum Cueva Cardinalis natione Hispanus ad Oratorem dicebat: „adeo non huic petitioni deferam, ut „etiam, si Sanctissimi Papæ auctoritate, „ac ceterorum consensu concederetur, „Ecclesiæ Divi Petri gradus conscenderem, ac palam contra facinoris hujus „indignitatem insurgens exclamarem: „Misericordia! Misericordia! „ cum vero idem Cardinalis addidisset, planum videri, quod Episcopi, cum ejusmodi rem petere audeant, hæresi sint infecti, ad hoc reposuit Orator, quod Prælati, priusquam suam petitionem proponerent, eandem mature ponderarint, ac solidis rationibus ex Theologia petitis corroborarint, ut proin ejus censura nimis præcipiti consilio lata Ecclesiæ Gallicanæ injuriosa esset, illaque proderet, quod horum Præfulum dotes, ac eruditionem penitus ignoraret. Porro Orator totius rei seriem ad Regem perscribens inter alia narrabat, quod hic Cardinalis liberalius suo genio indul-

ge-
jam dudum notæ non fuissent, atque jam a pluribus sæculis longo admodum, ac maturo examine in ipso etiam Concilio Generali non fuissent ponderatæ: Verum nonnulli Principibus adulandi studio abrepti plus ipsa Ecclesia sapere gestiunt.

geret, quam sano consilio abundaret. Sæcul. XVI.
 (*) His quoque Insulanus subjunxit A. C. 1561.
 ea, quæ sequuntur: „ego relictis Car-
 „dinalibus Papam, dum ex suo cubili
 „ad Patrum Senatum properaret, præ-
 „cessi, eumque comitatus fui, ac rur-
 „sus, ut hoc negotium decideret, eun-
 „dem instanter rogavi: Papa vero me
 „de prona sua voluntate certum reddi-
 „dit, & aliquamdiu subsistens interro-
 „gavit, an rem in Senatu proponi vel-
 „lem? ad hoc autem respondi, quod
 „id nunquam in mente habuerim, sed
 „unice instare jussus fuerim apud Sancti-
 „tatem suam, cum ipsamet juxta
 P 3 Fran-

(*) Mirum plane, quod Continuator nun-
 quam alleget, quas demum rationes adeo so-
 lidas, vel Possiacenses Episcopi habuerint, vel
 Gallicus Orator proposuerit: de earum tamen
 soliditate dubitandi locus superest, cum idem
 Continuator §. XXXVII. referat, etiam circa
 articulum de usu Calicis diversam fuisse Episco-
 porum sententiam, ac eorum potissimos putasse,
 in re adeo periculosa omnino Sedis Apostolicæ
 consilium, ac sententiam esse expetendam:
 proin eorum rationes ex Theologia suam so-
 liditatem accipere haud poterant, cum illa so-
 lidissimum argumentum suppeditet ex summi
 Pontificis auctoritate, & communi Ecclesiæ
 consensu, quorum tamen utrumque Episco-
 porum petitioni adversabatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

„Franciæ Præfulum sententiam sola
„sit sufficiens ad annuendum Regis pe-
„titioni, licet ego mearum partium fore
„existimaverim, ut prius Cardinales
„de tota rei ferie edocerem, eisque
„proponerem rationes, quibus Clerus
„Gallicanus ad hanc petitionem expo-
„nendam fuisset permotus. (*)

Hoc cum Oratore colloquium Pon-
tifex usque ad Senatus Sacri portam
protrahebat, & postea Pontificali ha-
bitu ornatus suam Cathedram occupa-
bat: vix autem Insulanus Orator in-
grediebatur, cum illico redire admo-
nitus discederet, in reditu tamen ob-
vius

(*) Pontificis responsum reticet Continua-
tor, quinimo Papam ad hoc nihil reposuisse,
fat vero simile est; haud enim is ignorabat,
quod, etsi hanc gratiam solus ex plenitudine
sue auctoritatis faceret, ea nunquam ad uni-
versalem, & constantem usum per totum Re-
gnum fuisset deducta; quippe Præfulum vix
non omnes Papam errasse max reposuissent,
cum Papam extra Concilium fallibilem esse,
Clerus Gallicanus contendat, nisi forte Ponti-
fex credere debuisset, Gallos tenere, quod
Papa solus absque Concilio in iis, quæ uni-
versæ Ecclesiæ disciplinam concernunt, tunc
duntaxat sit infallibilis, dum Gallis, quæ sua
sunt, quærentibus annuit: non autem quando
decernit, quæ Christi sunt.

vios habuit Burdaferium, Salviatum, ^{Sæcul. XVI.}
 aliumque Cardinalem, qui una omnes A. C. 15
 ipsum invisere iussi, eundem Sanctita-
 tis suæ nomine rogabant, qua-
 tenus disertis verbis declararet, an
 suum negotium in Purpuratorum Se-
 natu proponi vellet, cum summus Pon-
 tifex illud solus decidere nollet: de
 cetero autem graves obstarent diffi-
 cultates, cum in unius suffragio ipsius
 causæ propitio spem adeo firmam col-
 locare haud posset, ut proin ei aucto-
 res essent, quatenus ab hac petitione sua
 desisteret. Verum Insulanus Regis sui
 mandata causatus agebat, quod non-
 nisi rem cum Papa agere iussus esset.
 Porro iidem hi Cardinales reversi al-
 tera jam vice Legato renunciatum mit-
 tebantur, quod Pontificius in Francia
 Legatus nullam de hac Præfulum peti-
 tione notitiam dedisset, proin hac super re
 sententiam pronunciare haud congruum
 foret: nihilominus Orator Cardinali-
 bus exposuit, quod Reges Legatis, ac
 Nuntiis communicare haud soleant ea
 arcana, quæ inter ipsos Reges, ac Sancti-
 tatem suam agitari oportet, præsertim
 cum hoc negotium nunc propositum
 ejusmodi esset conditionis, ut nulla-
 tenus Legatum Pontificium respice-
 ret, (*) P 4 §. XLI.

(*) Ita est: Summi Pontifices ea negotia,
 quo-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

§. XLI.

*Quintus Synodi Legatus a Papa
nominatus.*

*Mem. pour
le Concil. de
Trente
p. 120.*

Hoc Oratoris responso ad Papam delato per eosdem Cardinales Infulano significatum, quod hujus negotii decisionem ad tempus magis opportunum differret: postea unus ex istis Purpuratis cum Legato seorsim conferens eidem exposuit, quod ejus petitio manifesti schismatis periculum minitaretur, nec Pontifex illius precibus deferre posset, nisi a suo obsequio omnes Principes Catholicos alienos redderet, quorum nonnulli sæpius ejusmodi postulata interposuerant. His ita dispositis in eodem Patrum Senatu frequens habebatur mentio de futura Synodo, ad quam summus Pontifex tanquam quintum illius Legatum nominabat Althempsium Cardinalem, qui Constantiæ in suo Episcopatu agebat: insuper Papa præcepit, ut die vigesima tertia Novembris præter jejunia, publicasque preces a Divi Petri Basilica usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo, ut pro proximo Concilio Sancti Spiritus gratia

quorum definitio Universam Ecclesiam respicit, non solent communicare, minus vero decidere ad propositionem unius Legati.

gratia impetraretur, solemnis haberetur supplicatio, quam etiam summus Pontifex pedes adire pollicitus, cunctis, qui sacro huic pietatis exercitio vacabunt, pœnarum condonationem ad normam Anni Sacri indulgit.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

§. XLII.

*Colloquium Papæ cum Insulano circa
Communionem sub utraque
specie.*

Quamvis Insulanus petitionem suam Pontifici factam omnino rejectam credere debuisset, nihilominus denuo colloquium petiit, quo obtento die decima tertia ejusdem Mensis ultimum responsum sibi dari postulabat: ut vero Regi suo satisfaceret, rursus rationes, quas jam antea pro obtinendo suo postulato allegaverat, recoquere haud dubitabat, illarumque æquitatem, ac necessitatem comprobare nitebatur: verum summus Pontifex intempestiva hac importunitate offensus ita respondit:

„ejusmodi preces a Rege interpositæ
„certo certius inducunt contumaciam,
„atque ab Ecclesia separationem: mi-
„nime autem ab Ecclesia permitti potest,
„ut Christiani diverso modo Sacramen-
„tis utantur: de cetero Imperator æque,
„ac Bohemiæ Rex ejus Filius eandem

*Mem. fuit
de la lettre
de Mr. de
l'Isle p. 121.*

Sæcul. XVI „Communionem sub eadem specie qui-
A.C. 1561. „dem concedi postulabant, a petito ta-
 „men suo destitit; eandem ergo sub-
 „missionem Galliarum quoque Rex pro-
 „fiteatur, eo quod Synodus reliquæ
 „Christianorum parti non multum ne-
 „cessaria, pro Catholicis superflua, pa-
 „rumque a summis Pontificibus exoptata (*) unice ideo convocata fuerit,
 „ut Francici Regni necessitatibus sub-
 „veniatur. Verum ad hæc Orator re-
 „posuit

(*) Ecce! quomodo mentita sit iniquitas sibi, quamque apertæ falsitatis arguantur privatæ ejusmodi relationes, quæ Gallice *Memoires* vocantur: quis enim credat, summum Pontificem Pium IV. quem ipsemet Continuator unacum omnibus aliis Scriptoribus omnem lapidem pro convocanda Synodo movisse recensuit, de se, suisque Prædecessoribus Legato respondisse, quod Synodus parum necessaria, superflua, & minus a Pontificibus fuerit exoptata? quis non potius primo obtutu agnoscat contumeliosum animum Continuatoris, ejusque Sociorum? qui toti in eo sunt, ut Pontifices tanquam Conciliorum oses depingant, se vero Synodorum studiosissimos jactitent, non ut ibidem dubia dissolvi gaudeant, sed ut ob Concilia convocandi, ac decidendi difficultates innumeras interea suæ inobedientiæ, ac etiam hæresibus liberum campum relinquere lætentur.

posuit, quod ad indicendam Tridentinam Synodum Sanctitas sua non modo propter Franciæ calamitates, sed etiam ob morem Concilia convocandi in Ecclesia usitatum abs dubio fuerit permotâ. His dictis Orator discessit, quin tamen petitionis suæ effectum extorquere potuerit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XLIII.

Montberonius ad Philippum II. a Regina excusatum missus.

Cum Regina Franciæ Administratrix sub idem tempus Philippum II. Hispaniæ Regem ob colloquium Possiacense vehementer commotum intelligeret, Jacobum Montberonium Ausentium, qui Reginæ famam repararet, ad eundem ablegabat: verum Legatus ægre ad alloquium admissus, tandemque per crebras sollicitationes Regem conveniendi copiam nactus, admodum remisse ab eo excipiebatur: cum vero ipse & Sebastianus Albaspinæus Lemovicensis Episcopus necessitati id datum, non vero Possiacense hoc colloquium in Protestantium gratiam factum fuisse Philippo exponerent, ac Reginam ommissa Nationalis Synodi mentione quamprimum Regni Episcopos Tridentum ad Concilium ibidem indictum mittere paratam affirmarent, Philippus hoc responso

Thuan. l. 28.
Hinum. 6.

Sæcul. XVI. sponso parum contentus reposuit: „hæc
A. C. 1561. „vestra agendi ratio mihi summopere
 „displicet, eo potissimum nomine, quod
 „tunc, si Calvinistæ ad Gallorum exem-
 „plum ejusmodi colloquium in Belgio
 „peterent, illud declinare haud possem,
 „quin hæretici ad seditionem concita-
 rentur.

§. XLIV.

*Franciæ Legatus a Philippo remissus
 exceptus, atque ad Albæ Du-
 cem missus.*

Thuan. l. 6. Postea Philippus Rex Montberonium,
 & Albaspinæum ad Albæ Ducem,
 qui tum summæ rerum præerat, re-
 misit: hic vero Dux aliunde primævo
 naturæ vitio ferox Montberonio hæc in
 responsis dedit: „Rex Catholicus Do-
 „minus meus non sine summo dolore
 „intellexit, quod in regno, cujus ta-
 „men Principes titulo Regis Christia-
 „nissimi gloriantur, præcipui Religionis
 „Articuli tam tepide, ac dissimulan-
 „ter pertractentur; hinc petit equidem,
 „ut Rex vester, qua severitate Henri-
 „cus II. & Franciscus II. Galliarum Re-
 „ges in Mercuriali, ut vocant, Conventu,
 „atque in nupera Ambasiana conjura-
 „tione usi fuerant, eadem nunc in Se-
 „ctarios animadverteret, nullamque
 „nec sanguinis, nec meriti rationem
 habe-

„haberet; si enim per Reges jam adul- Sæcul. XVI.
 „tos, atque ad regimen idoneos hæ- A.C. 1561.
 „resis malum etiam armis penitus ex-
 „tingui haud potuit, qua ratione Rex
 „puer, & foemina alienigena illius Tu-
 „trix propudiosa sua dissimulatione hæ-
 „resum incrementa præpedire valebunt?
 „quapropter Rex meus Reginam So-
 „crum suam obtestatur, ut semetipsam,
 „Regnumque, ac liberos fidei suæ com-
 „missos respiciat, maloque indies cre-
 „scenti mature remedium opponat: si
 „vero, addebat Dux, Regina remedium
 „adeo necessarium negligeret, Philip-
 „pus ad tanti mali successus tandem
 „præpediendos cunctas suas vires im-
 „pendere statuit, nec vanas violatæ pa-
 „cis criminationes veretur, cum non-
 „nisi juveni Carolo regnum firmare in-
 „tenderet, quod tamen conservare haud
 „posset, nisi rebelles suorum subdito-
 „rum animi in avita Religione reti-
 „neantur: de cetero Hispanæ copiae,
 „quas Philippus in Gallias mittet, non
 „Hispani Regis auspiciis, sed Franciæ
 „Regis nutu, ac voluntate rem gerent.„

§. XLV.

*Navarræ restitutio incassum a Mont-
beronio petita.*

Insuper Montberonio commendatitiæ ad Thuan. l. 28.
Hispaniæ Regem tradebantur literæ,

Sæcul. XIV. vi quarum de Navarra Antonio Borbo-
A.C. 1561. nio restituenda ageret: verum Philip-
 pus, aut potius ejus nomine Albæ Dux
 ira, quam ob ejusmodi petitionem con-
 ceperat, dissimulata dicebat, Gallia-
 rum Regi de hoc Regno satisfactum
 iri, si bellum adversus hæreticos in Fran-
 cia excitare, & Condæum, necnon Co-
 linios eidem addictissimos ad perniciem
 usque insequi non reluctaretur. Accepto
 hoc responso sat arrogante Montberoni-
 us ineunte Mense Octobri abire jube-
 batur: verum ab eo temporis articulo
 jamjam haud obscura habebantur in-
 dicia illius fœderis, quod sub postero-
 ribus Galliarum Regibus adeo celebre
 in apertas erupit flammæ; plures enim
 ex Franciæ Proceribus, cum Caroli
 Regis educationem, & Catharinæ ejus
 Matris Religionem sibi oppido suspectam
 haberent, cum Madritensi aula clande-
 stina iniisse consilia credebantur, atque
 huic suspicioni Legatus in Gallias re-
 versus plenam fidem faciebat ex scripto
 ipsius Lemovicensis Episcopi testimo-
 nio, qui secreta hæc consilia testaba-
 tur, subjungens, haud vanam fuisse de
 Arturo Desiderio Sacerdote, exploratæ
 falsitatis Viro, quæstionem non ita pri-
 dem habitam.

§. XLVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.*Arturus Desiderius Cleri Gallicani*
nomine libello supplici ad Regem
Hispaniæ instructus.

Hic item Presbyter profligati pudoris *Thuan. hist.*
homo a quibusdam Sorbonnæ Do-
ctoribus incitatus, ut Religionis jactu-
ram Galliis imminentem præverteret,
Hispaniæ Regis patrocinium implorare
decreverat: unde vesana temeritate im-
pulsus libellum supplicem, dum Possia-
cense colloquium celebrabatur, Cleri
Gallicani nomine Philippo Regi porri-
gendum composuit, atque in eo totius
Ecclesiastici Ordinis nomine contra Cal-
vinistarum potentiam hujus Principis
opem implorabat, simulque suo scripto
ea omnia inferebat, quæ Philippum ad
Religionis studium excitare, vel Hispa-
norum ambitionem titillare poterant:
inter cetera vero præcipue exaggerabat,
quod hæresis indies pluribus in locis
tantopere invalesceret, ut a Rege puero,
& infirmo, ejusque Consiliariis nunquam
remedium satis validum, atque efficax
opponi queat; quapropter Rex Catho-
licus efflicim rogaretur, ut armorum
vi auxilium Regi præstaret, simulque
consideraret, quod ad exerendam suam
bonitatem juxta, ac potentiam nunquam
magis opportuna offerri posset occasio,
quam

Sæcul. XVI.
A C 1561. quam dum Clerus, atque ex Franciæ Nobilibus plurimi ejus patrociniū implorant, eique vitam, bona, libertatem, ac securitatem commendant, committuntque.

§. XLVII.

*Arturus veniam precari a Regio
Senatu jussus.*

Thuan. l. 6. **N**egotium hoc pluribus ea de re consiliis haud ultra secretum haberi potuit; itaque Regina de isto consilio edocta Arturum, qui ipse libellum deferre sponderat, in itinere comprehendi clam jussit; ergo prope Aureliam a Satellitum Præfecto captus ad Reginam deducitur, ejusque jussu hujus causæ cognitio ad Senatum devolvitur: Desiderius itaque interrogatus facinoris conscios prodere cogitur. Cum autem magis exactam hac de re quæstionem haberi minus tutum crederetur, eo quod quamplurimi primæ Nobilitatis Viri huic negotio impliciti essent, hinc Senatus totam rem Reginæ communicabat, quæ ejusdem quoque erat sententiæ: quapropter Desiderius duntaxat condemnabatur, ut capite, & pedibus nudus, ac facem ardentem præferens flexis genibus in die, ubi Curiæ congregatæ pro tribunali sedere solent, coram omnibus apparitore verba dictan-

dictante declararet, quod temere, ma-
 litiose, maloque consilio libellum sibi
 nuper ablatum, cujus ipse in quæstione
 mentionem fecisset, scripserit, atque ad
 Regem, quo destinasset, perferre vo-
 luerit, eum vero ex animo hujus faci-
 noris pœniteat, veniamque a Deo, Rege,
 & Senatu precetur: sancitum insuper,
 ut hic libellus præsentè Arturo publice
 dilaceraretur, quo factò reus in Carthu-
 sianorum cœnobium, ut reliquos vitæ
 suæ dies ibidem captivus transigeret,
 deduceretur, (*) verum postea Artu-
 rus libertatem recuperandi opportuni-
 tatem nanciscebatur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 156.

§. XLVIII.

*Joannis Tanquerelli Theses in Sor-
 bonna propugnatae.*

Exeunte hoc anno Joannes Tanque-
 rellus prima Doctoratus laurea in Fa-
 cultate Theologica Parisiensi ornatus
 in quadam concertatione scholastica
 hanc enuntiabat propositionem: *Pon-
 tifex tanquam solus Christi Vicarius, &
 Eccle-*

*Thuan. l. c.
 Argentre
 collect. Jud.
 tom. I. ap-
 pend. p. 22.*

(*) Ita privati Religionis studiosi puniri,
 ac potentiores a prosequendo fidei studio de-
 terreri solent, ubi hæreses adhuc sub cineri-
 bus latentes sensim in apertas flammæ pro-
 rumpere incipiunt.

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Q

Sæcul. XVI. A.C. 1561. *Ecclesiæ Monarcha potestati suæ Sacræ, & profanæ subiectos habet omnes Principes Christianos, suisque præceptis rebelles regno, ditionibus, & dignitatibus exuere potest.*
 Hæc propositio magnum excitabat tumultum, moxque Hospitalius Cancellarius rem edoctus (*) dato diplomate Christophorum Thuanum Præsidem, Carolum Dormanium, & Bartholomæum Fajum Curiaæ Consiliarios deputabat, qui facti veritatem inquirerent, remque ad Senatum referrent.

§. XLIX.

Propositio a Senatu damnata, ac satisfactio Sorbonnæ Doctoribus injuncta.

Preuves de libertez de l'Église Gallic. p. 59. & suiv. Argentre tom. 2. p. 301. & seq.

His munere suo functis Senatus decrevit, ut Joannes Tanquerellus multa honoraria puniretur, atque in Sorbonnæ Schola congregatis omnibus Doctoribus, ac Theologiæ Candidatis, præfente etiam uno Præside, ac nonnullis Consiliariis a Senatu, & Advocato Regio ad id delegatis palam declararet, quod ipsum pœniteret propositionis a se propositæ, eamque falsam esse

(*) Qualis, quantusve fuerit Vir ille, apparuit ex prioribus illius orationibus habitis, necnon ex novæ sectæ studio.

esse fassus sui delicti veniam perdemisse a Rege peteret: cum vero Tanquerellus mature sibi fuga consulisset, ejus nomine Petrus Gustus Facultatis Biddellus nudo capite stans eandem declarationem fecit die duodecima Decembris præsentibus Thuano Præsidente, Dormanio, & Fajo Consiliariis, & Burdino Advocato Regio, necnon coram quinquaginta tam Doctoribus, quam Theologiæ Candidatis. Hac retractatione facta Facultatis Doctores de fide, & obsequio erga Regem exacte præfati, ejus, necnon Curiæ mandatis satisfacere se paratos exhibebant, polliciti, quod Tanquerellum ad palinodiam cogere vellent, quamprimum compariturus esset. Demum a Senatu inhibitum, ne in posterum ejusmodi quæstiones agitentur: Facultati vero injunctum, ut duo e suo Ordine deputati Regem adirent, atque obsecrarent, ut ipsis offensionis, in quam ob id incurrere poterint, veniam concederet, eosque tanquam humillimos, atque obsequiosissimos subditos habere dignaretur. (*)

Q 2

§. L.

(*) Observes velim, quod ejusmodi facta quidam Auctor inter probationes, seu argumenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ recenset.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Argent. loc.
cit. p. 291.

§. L.

*Francisci Grimodeti propositiones
damnatae.*

Die decima quinta evoluti Mensis Aprilis eadem Facultas sex damnabat propositiones, quæ ex quodam Francisci Grimodeti Regii apud Andegavenses Ordines Advocati scripto ad Regem directo decerptæ fuerant: ceterum de Andegavensibus hisce comitiis jam anno priori mentionem fecimus: ex his autem propositionibus prima erat hæc: *Ecclesie Concilium debet esse ex omnibus suis membris compositum, id est, cætus generalis omnium Christianorum, non autem duntaxat Episcoporum.* Censura. Hæc propositio est falsa, & schismatica. II. *Hæc quæstio pertinet ad Principes Christianos, Episcopos, & ad populum in generali.* Altera hæc propositio eadem, qua prior, censura perstringitur. III. *Veteres Reges, ac Principes Christiani consultum, ac necessarium censebant, totius Christianæ Reipublicæ Concilium indicere, quando per schismata, novasque opiniones Religio erat polluta, ac divisa.* Hæc propositio declarabatur falsa, & schismatica. IV. *In nostra Religione duce dantur sectæ, quarum prima est illorum, qui sub obedientia Ecclesie Romanæ degunt, altera eorum, qui se Evangelicos dicunt.*

Hæc

Hæc propositio, inquit Facultas, est hæretica, & impie imponit Religioni Christianæ. V. *Utraque hæc secta adeo numero deficit, ut dubium sit, quænam illarum sit magis numerosa.* Hæc propositio declaratur temeraria, & manifeste Hæreticis favens. VI. *Alterum Religionis caput consistit in Politia, & disciplina Sacerdotali, quam emendare, & si est corrupta, dirigere, atque in ordinem revocare est in Regum, & Principum Christianorum potestate.* Hæc propositio damnabatur tanquam falsa, schismatica, hæretica, tendensque ad Ecclesiasticæ potestatis everisionem.

Sæc. XVI.
A. C 1561.

§. LI.

Facultatis epistola ad Regem circa necessaria fidem conservandi media.

Eadem Facultas die decima octava Argentorati Mensis Junii Galliarum Regi sexdecim proposuit articulos, quos contra novos Protestantium errores Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto confecit, ac Gallice reddidit. Hosce articulos porrigebat Facultas unacum epistola ad Regem data circa magis opportuna Fidem Apostolicam in Regno conservandi media, atque in hisce literis

Argentorati l.c. p. 292. append tom. I. pag. 22.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

ris Doctores Regem rogabant. I. Ne ab eis exigeret, ut cuicumque conventui, vel Nationali Concilio interessent illo tempore, quo summus Pontifex Concilium Generale indicit. II. Eundem Regem monent, quod, cum Concilia Oecumenica semper omnibus diffidils, quæ etiam hodiedum Ecclesiam scindunt, abunde prospexerint, omnino eorum decretis standum sit. III. Ponderet Rex, quod plurium seditiones exinde fuerint exortæ, quia hæreticorum, qui pene innumeros seducunt, conventicula tolerantur. IV. Pro remedio hisce malis præsentaneo Rex curet, ut Regum Christianissimorum Prædecessorum suorum edicta in usum deducantur, ac ad Officia Ecclesiastica non alii, nisi scientia, morum probitate, ac sana doctrina clari evehantur. V. Nobiles non opprimant Ecclesiasticos, sed potius suæ fidei Professionem in Episcopi manibus emittere compellantur; si vero id recusaverint, tanquam Ecclesiæ rebelles declarentur, necnon juxta Regis arbitrium puniantur. VI. Idem quoque facere teneantur Justitiæ Administrum, atque Magistratus. Postea seditiones Cenomani ob quamdam hæreticorum concionem exortas Regi exponebant, simulque rogabant, ut typographis, & Bibliopolis prohibeat,

ne

ne exterarum Regionum libros diven-
derent, donec hi tumultus fuerint sopiti.

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

§. LII.

*Facultatis Articuli circa fidem ad Re-
gem transmissi.*

Huic epistolæ Doctores subjunxerunt *Argentre*
sexdecim articulos circa fidem con- *p. 294.*
tra illius ævi hærefes, eorumque pri-
mus his erat conceptus verbis. „Credo,
„& certa, firmaque fide profiteor una-
„cum Sancta Ecclesia Catholica sequen-
„tes articulos. II. Baptismus est om-
„nibus necessarius ad salutem, etiam
„infantibus, confertque gratiam Spi-
„ritus Sancti. III. Homo libero ar-
„bitrio ad bonum, & malum operan-
„dum est præditus, ac cum speciali Dei
„auxilio a peccato ad gratiam redire
„potest. IV. His, qui rationis usu
„pollent, post commissum quoddam pec-
„catum lethale necessaria est pœniten-
„tia, quæ in contritione, verbali con-
„fessione Sacerdoti facienda, & Satis-
„factione consistit. V. Peccator per
„solam fidem non justificatur: bona au-
„tem opera ei sunt adeo necessaria, ut
„homo ad usum rationis perveniens
„absque illis vitam æternam consequi
„non possit. VI. Verum Corpus Christi
„consecrandi, atque in Sacramento

Q 4

Pœni-

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

„Pœnitentiæ a peccatis absolvendi po-
 „testas a Christo Domino data est Sa-
 „cerdotibus, qui juxta normam, &
 „institutionem ordinati, ac consecrati
 „præmissa intentione recta vere Corpus
 „Christi consecrant, & pœnitentem ab-
 „solvunt. VII. In eadem consecratio-
 „ne panis, & vinum convertuntur in
 „verum Corpus, & Sanguinem Christi,
 „ac post hanc conversionem duntaxat
 „remanent panis, & vini species, sub
 „quibus veram Christi Domini Corpus
 „continetur. VIII. Missæ Sacrificium
 „a Christo institutum utile, ac profi-
 „cuum est tam vivis, quam defunctis.
 „IX. Eucharistiæ Communio sub utra-
 „que specie non est Laicis necessaria.
 „X. Confirmatio, atque extrema Unctio
 „sunt duo Sacramenta a Christo Do-
 „mino instituta, per quæ æque, ac per
 „cetera quinque nobis gratia confertur.
 „XI. Salutare, gratumque Deo opus
 „est, honorare, & invocare Beatissi-
 „mam Virginem Matrem Dei, ceteros-
 „que Cœlites XII. Opus bonum, &
 „sanctum est Sacras Christi Crucifixi,
 „Beatissimæ Virginis, aliorumque San-
 „ctorum imagines venerari, ac coram
 „eis genua flectere, ut Deus, sancti-
 „que exorentur. XIII. Datur Purga-
 „torium, in quo animæ detentæ ora-
 „tionibus, jejuniis, eleemosinis, aliis-
 „que

„que piis operibus adjuvantur, ut ci-
 „tius a suis poenis liberentur. XIV. Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 „In terris datur Ecclesia Universalis,
 „quæ in suis fidei decisionibus errare
 „non potest, cui etiam omnes Christia-
 „ni obedire tenentur, quæ pariter di-
 „cente Christo excommunicandi pote-
 „statem habet, atque ad illam pertinet
 „disputationes, quæstiones, controver-
 „sias circa Sacras Paginas definiendi,
 „decidendi, & interpretandi auctoritas:
 „eadem quoque repræsentatur in Con-
 „cilio generali debite, ac legitime con-
 „vocato, habetque post Christum ali-
 „quod caput visibile, quod est Sanctis-
 „simus Pater Papa noster, cui omnes
 „Christiani obtemperare tenentur. XV.
 „Multa dantur credenda, & tenenda,
 „quæ diferte in Sacris Literis non con-
 „tinentur. XVI. Traditiones, ac Con-
 „stitutiones Ecclesiasticæ, uti sunt je-
 „junia, & ciborum selectus, in con-
 „scientia obstringunt, omneque scan-
 „dalum excludunt, uti pariter faciunt
 „vota etiam Monastica.,,

§. LIII.

*Ejusdem Facultatis decreta circa
 Baccalaureos.*

Die secunda Julii eadem Facultas Sor- *Argentre*
 bonnæ congregata decretum con- *t. 2. p. 295.*
 didit, vi cuius Theologiæ Candidatis

Q 5

pro-

Sæcul. XV.
A. C. 1561.

prohibuit, ne in suis tesibus ullum testimonium, aut suspectum, aut falsis Lutheranorum principiis innixum adhibeant. Postea Decanus eisdem quædam proposuit statuta deinceps in eorum disputationibus, atque responsis observanda, quorum primum erat: loquantur semper latine, nec sese invicem lædant, aut afficiant injuriis. II. Non producant testimonium Fabri Stapulensis, Erasmi, Cajetani, & aliorum suspectorum nominatim. III. Non adducant in suis rationibus rationes Lutheranorum. IV. Disputent juxta ordinem Scholæ, & maneant in suis sedibus. V. Caveant a repetitione ejusdem rationis. VI. Utantur terminis Scholasticis. VII. Compareant Baccalarei cum cappis in Scholis, & sic revertantur in domos suas. VIII. Nec coperti vulgo calottis respondeant, aut argumententur. IX. Servent ubique modestiam, qualis Theologum decet. X. Non deferant positiones, nisi prius approbatas per nominatos a Facultate Doctores. Postea easdem theses tradant apparitori nostro, qui eas ad Baccalaureos duobus ante responsionem diebus deferat. Denique in eodem Facultatis confessu Doctor Darelius retulit, quod unacum Socio suo Magistro de la Haye quemdam examinaverit librum

librum a Doctore Sanctio editum, cui
 titulus: *Edicta Principum*: qua relatio-
 ne percepta dein Facultas decedit, hu-
 jus libri impressionem esse permittendam.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

§. LIV.

*Supplex Facultatis libellus ad Regem
 pro conservanda fide Ca-
 tholica.*

Denique die quinta Julii in quodam *Argentre*
 confessu prælegebatur libellus sup-
 plex, quo Facultas Regem exorabat,
 ut in Regno suo Catholicam fidem sem-
 per sartam conservare velit: „eapro-
 „pter hæc exponebat: Majestatis vestræ
 „Regna, quamdiu ibidem unius fidei,
 „unius Legis, atque unius Regis uni-
 „tas floruit, semper laudibus celebrata,
 „atque exaltata fuere, præcipue, cum
 „adhuc debita Sacramentis venera-
 „tio, ac honor fuit exhibitus, necnon
 „sacri ritus, ac Ecclesiæ consuetudi-
 „nes fuerunt observatæ, tuusque po-
 „pulus continuata serie a Divo Petro
 „usque in præsentem diem unum Ca-
 „put, atque omnium Christianorum
 „Superiorem agnovit Christi Domini Vi-
 „carium in terris: ex adverso autem
 „ab illo temporis articulo, quo error,
 „atque hæresis sese diffundere ceperat,
 „quantocius etiam Regni sui splendor
 obfu-

Sæc. XVI.
A. C. 1561.

Matth. 21.
v. 41.

„obfuscari, atque imminui cœpit, &
 „hodiedum omnis generis damnandæ,
 „ac perniciosæ sectæ contra Dei hono-
 „rem, potentiam, sapientiam, boni-
 „tatem, atque incomprehensibilem Ma-
 „jestatem excrescunt, necnon indies
 „altiores agunt radices, unde nonnisi
 „schismata, tumultus, ac dissidia pul-
 „sularunt, vehementerque timendum,
 „ne Deus ad vindictam commotus vi-
 „neam suam tamdiu in Francia planta-
 „tam destruat, eamque ad alias Re-
 „giones transplantet, uti in ejusmodi
 „eventibus sæpe contigit, atque ipsæ
 „quoque Sacræ Paginæ testantur, ubi
 „legitur: *Malos male perdet, & vineam
 suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei
 fructum temporibus suis.* Pariter verendum
 „est, ne Deus adhuc graviores populi
 „seditiones permittat, quæ extremum
 „Regno tuo excidium inferre possent,
 „quod tamen hucusque in sua fide in-
 „tegerrimum, & purissimum permanfit,
 „adeo, ut Divus Hieronymus de eo
 „affirmare haud dubitaverit, quod sola
 „Gallia inter omnes ceteras Regiones
 „exempta fuerit a Monstris, id est, ab
 „hæresibus, quæ mysticum Christi Cor-
 „pus monstro haud absimile reddunt.
 Reliqua hujus libelli pars eodem ferme
 concepta est stylo, simulque in Regis
 memoriam revocantur conciones a S.
 Dio-

Dionysio Divi Pauli discipulo habitæ: Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 ea enim adhuc ætate hic idem Sanctus Gallis fidem annuntiasse credebatur: Denique proposito Sancti Ludovici exemplo, ac fidei suæ studio Regem exorabat Facultas, ut Regis Christianissimi nomen non portet vacuum, ac populum suum in Religione, quam a suis Majoribus hausit, conservet, atque ita Regnum moderetur, ut Ecclesia Gallicana in pristina sua Religionis disciplina perseveret, nullaque innovatio illuc introducatur.

§. LV.

Quidam Valentiniensis Præsulis libri damnati,

Die quinta Mensis Augusti eadem Facultas plures damnabat propositiones, quas ex Joannis Montluci Valentiniensis Episcopi libris ad suos Diœcesanos inscriptis extrahebat, illæque propositiones numero erant septem decerptæ ex libro, cui titulus: *Christiana monita Valentiniensis Episcopi de fidei præceptis, & Sanctis Sacramentis unacum duabus epistolis, quarum prima continet exhortationem pro cujusque conditionis hominibus ad meditationem, & præceptorum Dei observantiam: altera vero solennes supplicationes, & publicas pœnitentias Christiane exercendi methodum complectitur, præter quosdam*

*Argentre
p. 296. & seq.*

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

dam sermones circa fidei articulos, atque orationem Dominicam, & denique quaedam preces ex Ecclesiæ orationibus decerpas pro Valentina, & Augostadiana Diœcesi. ()*

Porro harum propositionum prima sequenti perstringitur censura: *Licet loci illi e Sacra Scriptura sumantur, quia tamen non producantur secundum sensum Spiritus Sancti ab Ecclesia receptum, & ab adversariis citari soleant contra honorem Sanctis debitum, contra usum, & venerationem imaginum, contra Sanctitatem Templorum materialium: hinc ea propositio captiose etiam ex ipso contextu inducit simplices in errorem.*

De secunda ita censet Facultas: *subiuncta ratio falsa est, & aperte explicans, non fuisse in veteri lege, nec esse in nova dies alios aliis sanctiores, est hæretica.*

Tertiæ censura est hæc: *illa propositio quoad modum restitutionis rei alienæ, & famæ, quia obligat pœnitentem ad se sine necessitate prodendum, est falsa, & tale præceptum, aut Consilium Sacerdotis quoad modum illum est contra jus naturæ.*

Circa quartam dicitur: *quoniam hæc propositio particulatim commendat omnem statum*

(*) Hic liber cum Regis privilegio Parisiis apud Vascofanum Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo primo typis prodiit.

statum hominum precibus audientium, & eo usque rem producit, ut pro infirmis in Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 agonia moneat preces esse fundendas, ut in fide Christi decedant, non sine magna suspicione omittit, preces esse fundendas pro defunctis secundum ritum Ecclesiæ, & ex consequenti suspectum se reddit Auctor de Purgatorio.

Propositio quinta, inquit Facultas, prohibens eos, qui sibi sunt conscii alicujus culpæ, adesse huic Sacro Mysterio Missæ, est falsa.

Sexta autem, quæ novum fidelibus Eucharistiam sub utraque specie administrandi modum Gallice præscripsit, hac notatur censura: Hæc nova forma publice laicis administrandi Sacramentum Eucharistiæ lingua vernacula verbis consecrationis, & sub utraque specie duplicem continet errorem, explicite quidem Nestorii damnatum in Concilio Ephesino, ante mille, & centum annos celebrato, & Hussitarum, & Bohemorum in Concilio Constantiensi: implicite vero videtur continere hæresim Lutheri, & sequacium existimantium præsentiam Corporis Christi in Sacramento in solo ejus usu contineri.

De septima dicitur: Hæc admonitio infirmis facta in periculo mortis est valde diminuta, & maxime suspecta de Satisfactione, & Purgatorio, præsertim cum
 in

Sæcul. XVI. A.C. 1561. *in toto hoc libro nusquam meminerit Pur-*
gatorii.

Denique totus hic liber, utpote continens propositiones falsas, schismaticas, erroneas, & hæreticas, in quo multa etiam nata opportunitate omittuntur instructioni Christianorum necessaria, ut in præparatione ad Sacramentum Eucharistice nulla fit mentio Confessionis auricularis: in tractatu de infirmis in agonia visitandis nulla similiter fit mentio Confessionis Sacramentalis, in quo libro etiam nihil de Sacramento Confirmationis, & Ordinis, & proinde non satisfacit Auctor titulo, in quo proposuit, se dicturum de Sacramentis, in quo etiam libro nusquam fit mentio præceptorum Ecclesie, venerationis Sanctorum, precum faciendarum pro defunctis, hinc est perniciosus, & quam citissime comprimendus, tantum abest, ut domi a Diocesanis, aut quibusvis aliis sit legendus.

Sub idem tempus quinque aliæ damnabantur propositiones, ex nonnullis ejusdem Episcopi sermonibus excerptæ, quarum quædam de Religionis articulis, aliæ vero de peccatis contra decem Decalogi præcepta pugnantibus agebant: insuper quosdam errores a Facultate damnatos effutiebat præfatus Episcopus in quodam sermone ad Valentinensem Clerum circa Annum Christi millesimum quingentesimum

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

tesimum quinquagesimum septimum habito, qui etiam Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo typis vulgatus est. Ex his prima *propositio*, inquit *Facultas, est captiosa, & diminuta, quæ cum Lutheranis videtur tollere nostra bona opera, & solis Christi meritis attribuere.*

Altera, in qua dicitur, quod Magistratus melius faceret, si nullum ad jusjurandum cogeret, *est falsa, & contra rationabilem consuetudinem, & formam interponendi juramentum in contractibus humanis firmandis.*

Tertia videtur revocare populum a precibus publicis. Quarta, ut loquitur facultas, *sub prætextu reprehendendi abusus in modo orandi, captiose contra Sacram Scripturam, contra laudabilem consuetudinem Ecclesiæ, & Christianorum videtur avertere populum a devotione orandi ex consuetudine, & orandi ex præscripto certo precum numero.*

Circa quintam propositionem, in qua Author asserit, quod nos Christiani a Judæis tantum in hoc differamus, quod hi Sabbatum, nos autem diem Dominicam sanctificemus, Facultas eandem censuram esse ferendam pronuntiat, qua secunda prioris libri propositio fuit perstricta.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Pariter alius ejusdem Præfulis liber, qui Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo Parisiensibus literis excusus prodit, censura notabatur, illique libro sequens erat Titulus: *Valentinensis Episcopi sermones in orationem Dominicam unacum pluribus orationibus, quæ ex Ecclesie orationibus sunt depromptæ*: cum ergo hic liber propositionibus falsis æque, ac scandalosis scateret, easdem Facultas ad quinque contraxit, quarum prima declaratur Sacris literis contraria, captiosa, ac consentiens errori Lutheri olim damnato, qui asserit, quod in omni opere bono homo mere passive se habeat, tertia pars est etiam contra Sacram scripturam.

Circa secundæ propositionis censuram Facultas remittit Lectorem ad notam, qua primam propositionem ex prioribus sermonibus decerptam perstringebat. Tertia propositio, in qua dictum: *si id in nobis respicimus, quod est in nobis, non audemus comparere coram Deo*, a Facultate censetur esse falsa, sic generaliter prolata.

Eadem quoque censura notatur quarta, quæ ita sonat: in nobis nihil est, quod emendari non meretur. In quinta propositione Author ita discurrebat: *qui per fraudes, dolos, rapinam, & violentiam*
bona

bona hujus sæculi quæerunt, Deum offendunt, & Blasphemant, quotiescunque petunt a Deo panem quotidianum. Hæc propositio declaratur falsa.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Denique postremus circa peccata contra legis præcepta liber, in quo hujus Prælati sermones continebantur, pariter fuit condemnatus, atque præfatæ censuræ ineunte anno sequenti ad Regem deferebantur: Facultas autem easdem Synodi Oecumenicæ judicio submittebat.

§. LVI.

Caraffæ jussu Pontificis capitali sententia damnati.

Ante aliquot menses Pius IV. sese iniquitatis, ac licentiosæ vitæ osorem, juratumque hostem esse, luculento demonstrabat argumento, dum Caraffam Cardinalem, ejusque Fratrem ex legum præscripto multari jusserat, eo quod ambo sub Pauli IV. Patru sui Pontificatu potentia, atque auctoritate sua fuissent abusi: cum autem judicii acta, quæ cum summa solertia conficiebantur, ipse Pontifex ad trutinam vocaret, ambo accusati mortis pœna digni censebantur; quapropter Caraffa Cardinalis profano Judici traditus nocte, quæ sextam a septima Martii die sejungit, laqueo suffocatus periit: Dux vero Montorius

Thu. n. 9.
Ciacon. tom. 3. in Pium IV. p. 870.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

ejus frater tertio post Cardinalis supplicium die in ponte arcis Sancti Angeli capite plexus est: utriusque vero corpora in eodem ponte populi conspectui exposita: insuper Alifanus Comes Ducis Sororius, & Leonardus Cardineus capite truncati sunt: obeunte tamen Pio IV. illius successor judicii acta rursus discuti jussit, totamque Caraffarum familiam pristinis honoribus juxta, ac dignitatibus restituit: benignius quoque, quam Caraffas, Pius IV. habuit Cardinalem Alphonsum, qui etiam post Pauli IV. Propatruum sui obitum captus abducebatur, eo quod quædam e Pontificis cubili furrivisse, atque in cædem nobilis fœminæ, quæ Paliani Ducis uxor erat, consensisse accusaretur; eapropter centies mille aureos mulctæ nomine pendere jussus Præfecti dignitate, qua in Camera Apostolica fulgebat, privabatur. Postea Pius IV, ut bellum instigantibus Caraffis Philippo Hispaniæ Regi illatum, minus æquum fuisse ostenderet, hunc Principem esse innocentem declarabat, eumque ab omnibus, quæ Paulus IV. eidem exprobrabat, vindicans Marco Antonio Columnæ Palianum restituit. Ceterum Alphonsum ad Neapolitanum Archiepiscopatum suum secedens, ibidem mentis amaritudine confectus nonnisi expleto vigesimo

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

mo quinto ætatis suæ anno obiit circa
Annum Domini millesimum quingente-
simum sexagesimum quintum: insuper
Pontifex Scipionem Rebibam Cardina-
lem utpote Caraffarum consiliis con-
scium, necnon Innocentium Montanum,
qui Romana licet purpura donatus li-
centiosæ vitæ deditus erat, in arce San-
cti Angeli includi iussit, quamvis evo-
luto unius anni spatio uterque in liber-
tatem assertus, imo Rebiba etiam
Constantinopolitano Patriarchatu deco-
ratus esset.

§. LVII.

Mercurii Cardinalis obitus.

Præter Cardinalem Caraffam sacrum
Collegium hoc anno trium Purpu-
ratorum jacturam planxit, quos inter
primus erat Joannes Andreas Mercurius
Messinæ in Sicilia obscuro quidem
genere ortus, sed singulari epistolarum
rite conscribendarum peritia clarus, qua-
propter cuidam Notario operam suam
dicabat, postea & Romam profectus
ad Joannem Mariam Montanum tum
Sipontinum Archipræsulem divertit,
a quo etiam non modo conscribendis
litteris, sed insuper difficillimis negotiis
præfectus est: cum ergo cuncta munia
ipfi demandata singulari dexteritate per-
ficeret, Montani opera Reggionensis De-

Ciaccon. in
vitis Pontif.
to. 3. p. 775.
Rochus Pyr-
rhus in notit.
Eccl. Sicul.

R 3 canus,

Sæcul. XVI.
A. C. 1561. canus, ac demum cedente eodem Montano Sipontinus Archiepiscopus est renuntiatus: postquam vero obeunte Paulo III. Montanus sub nomine Julii III. Divi Petri Cathedram conscenderat, ab eodem Mercurius primo Messinensis Archiepiscopus, & postea unacum aliis Mense Decembri Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Cardinalis tit. Sanctæ Barbaræ, ac demum S. Cyriaci fuit electus, quo tamen titulo postea dimisso ad illum SS. Quirici, & Julitæ translatus est. Tanti semper fuit apud Julium Papam, ut hic nil absque ejus consilio peragere videretur: tandem Romæ in Palatio Vaticano, ubi habitabat, die Dominica secunda Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, annos natus quinquaginta obiit, sepultusque fuit in Ecclesia S. Marcelli.

§. LVIII.

*Claudii de Givry Cardinalis
extrema.*

Ciacon. p. 526
San. Marth.
in Gallia
Christ. Alter erat Claudius de Longuy, seu de Givry Philippi Longuy Givryensis, & Joannæ Baufremontiaë filius, qui primo Canonicus, postea Archidiaconus, ac demum Anno millesimo quingentesimo decimo tertio cedente Stephano
ejus

ejus Patruo Matisconensis Episcopus renuntiatum est: temporis vero progressu ad Sedem Lingonensem, ac demum ad Ambiensem, & Pictaviensem Episcopatum fuit translatus, eratque etiam Abbas ad S. Benignum, & Divioni ad S. Stephanum, necnon Pictavii ad S. Cyriacum, aliisque in locis: insuper idem, cum Matisconensis esset Episcopus, pro Francisco de Rohan Archiepiscopo Lugduni Provinciale Concilium celebravit Mense Martio Anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo, atque interfuit Massiliensi colloquio, quod Franciscus I. in eadem urbe cum Clemente VII. summo Pontifice habuit, ibidemque Claudius a præfato Papa Mense Novembri Anno supra millesimum quingentesimo trigesimo tertio unacum aliis tribus natione Gallis Cardinalium Collegio fuit adscriptus. Ceterum Vir erat pietate, necnon summa in Ecclesias liberalitate, morumque integritate plurimum commendandus, qui etiam in ævi sui negotiis semper operam suam utiliter impendit, tandem autem hoc anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo die octava Augusti octogenarius decessit apud Mussiacum, indeque Corpus ejus ad Lingones translatum ibidem ad dexterum Majoris Altaris cornu sepultum fuit.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

R 4

§. LX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LIX.

Cardinalis Gaddius mortuus.

*Ciacon p 854
Ughel. Italia
Sacra Au-
bery hist. des
Card.*

Tertius ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Thaddæus Gaddius Nepos Nicolai Gaddii Cardinalis, qui Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo e vivis excefferat. Ejus Familia Medicæorum, Acciajolorum, & Diacettensium generi sanguinis conjunctione unita fuit, & semper celeberrima exstitit apud Florentinos, in quorum Metropoli Thaddæus Mense Septembri Anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo nono primam lucem aspexit, atque civilis æque, ac Canonice jurisprudentiæ, cui Patavii operam dederat, peritia clarissimus evasit: hinc vix percurso decimo sexto ætatis suæ anno Sancti Leonardi Abbatiam, cum Cardinalis Nicolaus Gaddius ejus Patruus illam cederet, in Apulia obtinuit, & postea a Paulo III. Papa in Neapolis Regno ad Cosentinum Archiepiscopatum, quem idem illius Patruus sponte abdicaverat, nominatus hanc sedem nonnisi evoluta vigesimo septimo ætatis suæ anno occupare voluit, quam tamen Ecclesiam tanta sapientia, ac Religionis studio rexerat, ut Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Mense Martio a Paulo

Paulo IV. Pontifice Cardinalis tit. S. Sylvestri renuntiaretur, hacque dignitate clarus comitiis, in quibus Pius IV. Papa eligebatur, interfuit. Denique Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo die vigesima secunda Octobris in sua Abbatia ad S. Leonardum in Apulia naturæ debitum solvit, & corpus ejus Florentiam translatum in Ecclesia Sanctæ Mariæ novæ Ordinis Fratrum Prædicatorum in Familiæ suæ monumento conditum fuit, unacum sepulcrali inscriptione, quæ hodie dum visitur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LX.

Melchioris Wolmari fata.

Hoc item anno celebris Protestantium Theologus nomine Melchior Wolmarus anno ætatis suæ sexagesimo quarto Isenaci obiit: natus is erat apud Helvetios Rotevillæ quodam Longevillæ Ducum oppido: Parisiis vero primo Jacobi Fabri Stapulensis, ac postea Biturigibus Alciati Magisterio usus studiis vacabat, ac Calvinum Græco idiomate imbuebat, quocirca hic idem hæresiarcha Magistro suo scriptum in secundam D. Pauli epistolam ad Corinthios commentarium nuncupavit: in super Melchior Theodorum Bezam literis instituit; hic autem Wolmaro sua

Thuan. l. 28.
Melchior
Adam. Beza
in Icon.

R 5 poe-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

poemata sub titulo: *Juvenilia*, inscrip-
sit, atque ejusdem Magistri sui lectio-
nibus seductus adulterinæ reformato-
rum sectæ nomen dedit. Postea Wol-
marus ab Ulrico Wirtembergensi Duce
in Germaniam accersitur, ac Tubingæ
jurisprudentiam tradere jussus diu Pro-
fessoris munereungebatur, Græcos-
que Auctores explicabat, hujus idio-
matis adeo gnarus, ut quondam Wir-
tembergensi Duci fateretur, quod ma-
jori cum facilitate in Græco, quam lin-
gua Teuthonica, causam dicere vellet:
præterea idem a Margarita Navarrae
Regina pingui pensione honorabatur,
cum vero jam senio pressus esset, abdi-
catis omnibus officiis Isenacum seces-
sit, ubi etiam rebus humanis valedi-
xit.

§. LXI.

*Magistratum conatus in reprimendis
Calvinistarum crudelitibus.*

Thuan. l. 28. *Davilla de*
bell. civil. l. 2. *Beza hist.*
Eccles. l. 4.
p. 665. **C**um Protestantes ex Possiacensis col-
loquii successu petulantiores effice-
rentur, palam spargere non erubescer-
bant, eorum doctrinam ibidem fuisse
approbatam, ac Catholicos ignominiose
devictos recessisse: postea hoc menda-
cio freti majori adhuc arrogantia quam
antea, ad populum dicere cæperunt, plu-
resque Ecclesias sibi violenter vendica-
runt:

runt: brevi tamen publica Magistra-
 tuum auctoritate hæreticorum audacia
 infrangebatur, ac præprimis omnibus
 privatis inhibita, ut non sclopeta se-
 cum portarent, illi vero, qui ejusmodi
 armis essent instructi, eadem ad urbis
 Prætorium deferrent: insuper alio edi-
 cto die secunda Novembris sancitum,
 ut Protestantes templa hucusque occu-
 pata restituerent, indicta tam severa
 pæna, ut huic legi morem gerere co-
 gerentur: Verum pro tam inveterato
 malo nimis infirma erant hæc remedia,
 quocirca Regis jussu ex cunctis regni Cu-
 riis Præsides, ac Senatores seligeban-
 tur, qui ad oppidum S. Germani in La-
 ja convenirent, malisque universum re-
 gnum inundantibus opportuna remedia
 opponerent, atque ex eorum sententiâ
 de reddenda pace, ac tranquillitate per
 edictum publicum decerneretur: enim-
 vero hoc consilium sat proficuum esse
 potuisset, ejusque executio in Regni u-
 tilitatem cedere sperabatur: verum pro-
 sper illius successus plurimorum Pro-
 cerum discessu præpediebatur, quippe
 Guisus Dux comperto vix hoc propo-
 sito quantocius ab aula unacum Car-
 dinale Fratre suo discessit, & quidem
 Dux Jonvillam, Cardinalis vero Rhe-
 mos contendit, inde mox ambo in
 Germaniam profecturi; jamjam enim
 Mont-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæc. XVI. Montmorentium Connestabilem ad sua
A.C. 1561. pertraxerant studia.

§. LXII.

*Seditio Parisina in Sancti Marcelliani
 suburbio inchoata.*

Thuan. l. c.
La Popelin.
l. c.
Beza hist.
Eccl.
Mexeray. to
2. p. 833.

Interea Calvinistæ indies majores concitabant tumultus, ac præprimis sectam suam propugnaturi innumeros ferme libellos famosos in vulgus spangebant, eisque Catholicos ipsis oblitentes proscindebant, insuper in tot locis, tantoque furore sermones habebant, ut plurimas in Regno Ecclesias erigerent: Postmodum aucta temeritate publice in jejunio verno carnibus vescuntur, Catholicorum templa vi occupant, ibidemque suos cætus agunt, Ecclesias, quæ ipsis usui esse haud poterant, penitus eyertunt, Altaria destruunt, Sanctorum statuas, atque imagines diffringunt: nec hisce insolentiis contenti Gallico etiam carmine divulgant, quod tres præcipui Doctores in Possiacensi colloquio disputantes ad novam sectam defecissent: præterea per anagramma ex Regis Caroli IX. nomine, quod ipse idolum, seu juxta illos Papatum destruturus sit, conjectabant, suarumque Ecclesiarum statum Reginæ Administratrici exhibebant, professi, quod suæ factionis socios plusquam duo millia & centum quin-

quinquaginta recenserent: quinimo im-
 portunis etiam precibus ab illa faculta-
 tem impetrabant, ut prope Lutetiam
 Parifiorum in duobus locis suos cœtus
 agere possent, nimirum, Popincurtiæ
 extra suburbium S. Antonii, necnon in
 alio loco, qui Patriarchatus vulgo ap-
 pellatur, atque in Sanmarcelliano sub-
 urbio juxta Sancti Medardi Ecclesiam
 erat situs. Itaque Protestantes primam
 concitabant seditionem in præfato sub-
 urbio S. Marcelliani vigesima septima
 Decembris die, quæ Sancto Joanni sa-
 cra erat: Ast hoc ipso tumultu magis
 adhuc utriusque partis animi ad mutua
 accendebantur odia: postquam enim
 Joannes Malo ibidem suum sermonem
 inchoaverat, in Ecclesia S. Medardi ad
 vespertinas laudes æs campanum pul-
 sabatur, cum vero campanarum sonitus
 huic spurio Concionatori molestus acci-
 deret, ejusque Auditores præpediret,
 hinc illi duos ex illo cœtu, qui plus-
 quam duobus hæreticorum millibus con-
 stabat, rogatum ablegant, ut Parochus
 campanarum pulsum cum tanto fragore
 ædituis prohibere vellet: cum autem
 hi duo ablegati repulsam ferrent, rursus
 quidam Prætoris, qui ad tumultus im-
 pediendos Montmorantii Connestabilis
 jussu ejusmodi conventiculis interesse
 jubebatur, Apparitor ad Parochum fuit
 missus:

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A C 1561.

missus: verum is, cum occlusas Templi portas reperiret, quamvis sæpius se Regis nomine adventasse clamaret, crebra tamen saxorum grandine e templi turre depluente territus sese recipere coactus fuit.

Hac violentia exacerbati Protestantes vindictam parabant, quapropter plusquam quingenti relicta Ministri sui concione Ecclesiam invadunt, portas infringunt, plurimosque tam Viros, quam mulieres ad vespertinum Officium accurrentes trucidant, Altaria evertunt, sanctorum imagines confringunt, sacrasque vestes, ac vasa diripiunt, quimmo ipsum quoque Sanctissimum Sacramentum pedibus conculcant: irrumpit quoque Dandelotus, atque equo vectus, gladiumque manu gestans Ecclesiam ingreditur, tandem & Beza tumultuantium Ducem se constituit: dumque hæretici ad statuas, & imagines evertendas petulanter concurrunt, Sacerdotes, alique, qui intra Ecclesiam cum illis erant, pro vita pugnantes, cum alia arma non haberent, statuas de altaribus avulsas, ut adversarios suos prævenirent, in illos contorquent: porro pugnans supervenit Vigilum Præfectus, equo vectus, templumque ingressus fuit: verum adeo non seditiosos compescere valuit, ut sua etiam præsentia

Sæc XVI.
A C 1561.

sentia hæreticorum furorem potius au-
gere videretur: porro ex iis, qui in
templo erant, graviter vulnerati fue-
runt quinquaginta, ac quatuordecim
capti: tandem vero Protestantes Eccle-
sia potiti, cum interea campanæ mini-
me cessarent, metusque esset, ne ad
clasticum populus cum armis accurre-
ret, hinc hæretici ignem turri sese sub-
jecturos minitantur, atque ita sedato
nonnihil tumultu in urbem secedere cæ-
perunt.

Attamen, cum minime dubitarent,
quin omnes cives ob eorum petulan-
tiam in illos essent exacerbati, illi, qui
ceteris audacia prævalebant, instructo
veluti militum agmine per urbem in-
cedebant, primamque aciem Vigilum
Præfectus cum quinquaginta equitibus,
& ducentis circiter armatis peditibus du-
cebat: postremum vero agmen cum
suis itidem armatis claudebat quidam
Apparitor: in media autem turma e-
rant inermes unacum quatuordecim il-
lis nuper captis, qui bini septem or-
dinibus seorsim a reliquis, ut ab omni-
bus dignoscerentur, inter se funibus
colligati incedebant, hocque ordine per
totam urbem trahebantur in publicos
carceres deducti.

Alterâ die summo mane Protestan-
tes eodem quidem loco, sed majori nu-
mero

Sæcul. XVI.
A.C. 1561

mero, armisque melius instructi quam pridie, convenere, Concioni suæ interfuturi, qua vix finita eodem ordine ad ædes suas reversi sunt: at vespere, cum plebs patientiam suam modo adeo injurioso ab hæreticis fatigari indignaretur, coacto circiter quatuor, vel quinque millium agmine una omnes tumultuariis armis instructi ad eundem locum furore pleni contendunt, & scamna, ipsamque Cathedram, ex qua Ministrællus ad populum dicebat, confringunt, subjectoque igne comburunt, unde vicinæ ædes incendio fuerunt absumptæ. Magistratus, quamvis ad nuperam seditionem otiosus substitisset, nunc prompte accurrebat, cum hoc tumultus magis periculosos fore existimaret: itaque adveniente Magistratu cum lictoribus plebs huc, illucque dilapsa est, incendiumque restinctum: porro ea re plurimum aulæ Proceres commovebantur, moxque Burdinus regius Advocatus ad oppidum S. Germani delatus Regem de tota rei serie edocet: igitur rei cognitio criminali Prætori adimitur, & totum negotium Regis jussu Curiæ demandatur, quæ etiam duos selegit Consiliarios Ludovicum Gigantem, & Antonium Fumeum, qui separatim testes audire jubebantur, & quidem Fumeus debebat excipere illos, qui

qui seditionem a Parocho, atque ædi-
 tuis excitatum mentiebantur: illos ve-
 ro testes, qui id negabant, Gigas Con-
 siliarius excipiebat, quos inter non pau-
 ci, qui testes agebant, de seditione i-
 tidem accusati, Senatus decreto in car-
 cerem conjecti sunt, a quo tamen brevi
 ad Navarræ Regis preces liberati e-
 vasere, & quamvis Protestantes totius
 mali auctores gravissimis pœnis coer-
 ceri fuissent promeriti, duo tamen dun-
 taxat, vel tres ex illis debitas pœnas
 dederunt, ut aliquatenus satisfieret po-
 pulo, qui ob tam enorme scelus seve-
 rissimas deposcebat pœnas: insuper in-
 ter alios criminalis Prætor unacum Ap-
 paritore laqueo fuit suspensus, nondum
 tamen horum supplicio satiata plebe,
 e carnificis manu rapti, ac per vicos
 crudeliter tracti, postremo in profluen-
 tem demersi sunt. Porro ob hanc sedi-
 tionem condebatur Mense Januario quod-
 dam edictum, quod anno sequenti fuit
 promulgatum.

§. LXIII.

*Aliæ seditiones a Protestantibus in
 diversis locis concitatae.*

Sub idem tempus alius a Protestanti-
 bus concitabatur tumultus; cum e-
 nim hi insuperhabito Regis interdicto
 Concionem haberent, cives, perinde ac si

Sæcul. XVI.
 A.C. 1567.

Tuan. l. 28.
 Spond. hunc
 ann. n. 29
 Sacchini hist.
 Soc. l. 3. art.
 70. & seq.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

S ad

Sæcul. XVI. ad certamen progredierentur, sumptis
A.C. 1561. armis, tympanisque pulsatis impetum
 faciebant: cum vero hæretici pariter
 armis essent instructi, Catholici retroce-
 dere coacti sunt, cumque Protestantes
 superando impares essent, verso in præ-
 dam furore quasdam domus diripue-
 runt. Acrius adhuc Calvinistæ tumul-
 tuabantur Apamiæ in Occidania, ubi
 non modo Jesuitas, qui Tolosam confu-
 gerant, sed & omnes quatuor Mendican-
 tium Ordinum Religiosos, necnon Ca-
 thedralium, & Collegiatarum Ecclesia-
 rum Canonicos urbe excedere compel-
 lebant, quibus crudeliter expulsis Cal-
 vinistæ civitatis dominium sibi usur-
 pantes non alia auctoritate, quam om-
 nis generis impietatum licentia suf-
 fulti novam suam reformationem ibi-
 dem stabilierunt.

§. LXIV.

*Scotiæ Ordinum responsio ad Franciæ
 Oratoris propositiones data.*

Thu. l. 29.

Adhucdum in Scotia Procerum dura-
 bant comitia, dum Jacobus Noallius
 Burdegalensis Curie Senator a Carolo
 IX. Galliarum Rege Orator missus in hoc
 Regnum venerat. Hic idem inter pri-
 mas curas habebat, ut ad alloquium
 admittus Regni Ordines de Legationis
 suæ causa edocere posset: attamen
 proxi-

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

proximum præstolari jubebatur conven-
tum die vigesima prima Maji celebra-
dum, quippe Regina transmissis diplo-
mate cunctis Proceribus ea, quæ e Re-
publica essent, in quodam conventu sta-
tuendi jus faciebat. Postea Orator ad
hunc confessum admissus, atque auditus
legationis suæ mandata explicabat,
quorum præcipua hæc erant, I. Vetus
cum Francia foedus innovetur, armorum
vero societas cum Anglis nuper inita
declaretur tanquam irrita. II. Clero
bonorum, quæ ipsis ablata fuere, posses-
sio restituatur. Verum Regni Ordines
ad hæc respondebant: „nos quidem
„Gallorum foedus, quod violasse haud
„conscii sumus, continuare non recusa-
„mus, de Anglicano tamen foedere re-
„scindendo nulla vobis spes est, ad illud
„enim servandum recenti beneficio ab
„Anglis recepto obstricti sumus.„ Ad
illum articulum, quo bonorum restitu-
tio Sacerdotibus facienda petebatur,
nimis acerbe respondebant, quod illo-
rum, qui a Catholicis Sacerdotes appel-
lantur, nec ullum munus, nec usum in
Ecclesia agnoscerent: ne autem verba
eorum effectum carere crederentur, sta-
tim in eodem confesso, priusquam Re-
gina adventaret, decretum condiderunt,
vi cujus omnia passim cœnobicia everti
jusserunt.

S 2

§. LXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LXV.

Maria Regina in Scotiam profecta.

Tuan. l. c.

Indigna hæc agendi ratio plurimum Mariam Scotiæ Reginam commovebat, tamque acerbo animi dolore afficiebat, ut coram suis familiaribus minitaretur, quod ipsa, quamprimum in regnum veniret, Mariæ Anglorum Reginæ exemplum imitari velit: nihilominus pressa aliquamdiu indignatione sua, ultionem in tempus magis opportunum differre constituit: Interea e Lotharingia, ubi tum agebat, Parisios delata Regem adiit, illumque usque ad oppidum S. Germani in Laja comitabatur, ubi tam Regi, quam Reginæ valedicens in Regnum suum reversa est, eamque Guisus Dux, pluresque alii Proceres Caletum usque splendido comitatu prosequiebantur: Caleto autem solventem Renatus Ellabonius Marchio unacum Francisco Galliarum Priore in Scotiam usque comitatus est, ubi etiam die vigesima prima Mensis Augusti advenit.

§. LXVI.

Regina in suo adventu indigne habita.

Equidem Regina cum festivis populi sui acclamationibus in Regni ingressu excipiebatur, brevi tamen hosce applausus

plausus turbabat eventus, qui Mariam ^{Sæcul. XVI.}
 Reginam ingenti affecerat dolore; cum A.C. 1561.
 enim ejus Sacellanus in sua domo rem
 divinam peragere vellet, jamque pro sa-
 crâ hac functione sacerdotales afferren-
 tur vestes, quidam perditæ vitæ hæ-
 reticus eo temeritatis prolapsus est, ut
 cereos accensos ab altari eriperet, eos-
 que confringeret, ac nisi illius petulan-
 tia a Viris moderatioribus fuisset cohi-
 bita, ipsum etiam Altare, sacrumque ap-
 paratum evertisset: porro hic tumul-
 tus a Jacobo Stuardo Reginæ fratre e-
 rat instructus, acceptam vero injuriam
 Princeps prudentissima aliquamdiu dis-
 simulabat.

§. LXVII.

*Vanus Catholicorum conatus pro Re-
 ligione orthodoxa in Scotiæ
 Regno restauranda.*

Interea Atholiæ, Cravordiæ, & Su- ^{Thuan. l. 29.}
 therlandiæ Comites unacum non-
 nullis Præsulibus veram Religionem in
 Scotiam revocare moliebantur: cum
 vero Jacobus Stuartus Reginæ frater
 Protestantium sectæ apprime addictus,
 sua auctoritate pium hoc consilium abs
 dubio everfurus timeretur, hinc præfa-
 ti Proceres præprimis omnia præ-
 mittebant, quæ magis congrua ipsis ad

S 3

hoc

Sæcul. XVI.
A. C. 1561

hoc videbantur, ut eundem Jacobum a Mariæ Reginæ amicitia avellerent: verum duntaxat consilii sui aliquam partem, eamque nonnisi ægerrime exequi poterant, præcipuus vero, quo Religionem Catholicam restaurare moliebantur, eorum conatus ferme omni successu frustrabatur, quippe nova hæreticorum Reformatio tam severis legibus fuit stabilita, ut soli Reginæ unica duntaxat Missa in suo Sacello peragenda concederetur: quinimo hæc ipsa facultas adhuc ea restricta fuit conditione, ut hoc Sacrificium sine omni pompa fieret: quam in rem promulgabatur edictum, quo Reginæ hæc licentia quidem danda, sed non nisi ad unicam Missam restringenda decernebatur: e quidem dum hoc edictum promulgabatur, eidem Jacobus Hamiltonus Araniæ Comes sese opponebat: verum sua repugnantia parum in Religionis negotio proficiebat (*). Porro Regina necessarium

(*) Continuator hoc loco contra Historiæ fidem hallucinatus est, dum Hamiltonum tantquam Catholicum depingit, cum tamen Thuanus l. c. hæc de eo eo referat: *Cum edictum de Missa unica Reginæ permissa publicaretur, Jacobus Hamiltonius, qui e Gallia, ubi iussu Guisianorum captus asservabatur, aufugerat.*

farium ducebat, ut continuo Satellitum turma ejus latus stiparet, cum vero id apud Scotos haud usitatum, omnique novitate, quam ipsa introduceret, suos subditos magis irritari prænoffet: ea-propter, ut suum consilium absque suspicionis metu perficeret, eo usa est artificio, ut a fidis quibusdam hominibus noctu tumultum excitari curaret, perinde acsi Araniæ Comes Reginam, cujus amore immodico tenebatur, quamvis illa ab ipso semper alieno esset animo, per factionis suæ socios in arcem suam abducere aggrediretur. Hoc nuntiato mane custodes ad palatii portam appositum apparuere, qui etiam postea continuo ibidem excubias agebant, Proceribus nihil obluantibus, eoquod hic rumor fat vero similis videretur, atque Araniæ Comes de ejusmodi consilio multum suspectus foret.

§. LXVIII.

contradicere ausus fuit, Et Arcimbaldus omnes Pontificios facessere jusserat. Buchananus etiam lib. 17. ita scribit: cum edictum promulgaretur, qui contradiceret, e tota Nobilitate unus est inventus Comes Araniæ: multum licet dissimulanter indignante Regina: Ex his clare patet, hunc Comitem in Catholicæ Religionis odium huic licentiæ de Missa celebranda sese opposuisse.

Sec. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI.

A. C. 1561.

§. LXVIII.

Scotiæ Regina ab Elisabetha ad firmandum Edinense foedus sollicitata.

*Buchan. hist.
Scot.
Thur. &c.*

Hæc dum interea gerebantur, Regina ad Elisabetham Angliæ Reginam Mætellanum Comitem ablegabat, qui Mariam Reginam Edinum venisse nuntiaret, simulque peteret, ut arctiori concordiae vinculo Anglos inter, & Scotos facto, per publicum decretum, nullique controversiæ obnoxium Maria tanquam legitima Angliæ hæres ab Elisabetha declararetur. Hac propositione Anglorum Regina omnino attonita Mætellano Comiti respondit, quod aliam a Scotiæ Regina legationem expectasset, spemque concepisset, ab illa foedus, quod Edini nuper initum erat, ratum haberi, cum id se facturam, dum adhuc in Galliis agebat, promisisset, ut proin Angliæ Regina sat mirari haud possit, nullam de hoc articulo mentionem fieri. Ad hæc Comes nil intentatum reliquit, ut Mariam Reginam excusaret, caussatus, quod ab adventus sui die nullum tempus habuerit vacuum, in quo maximi momenti negotia, quibus in Scotiam appulsa insudaret, ad debitam normam revocare potuisset. Hoc responso Elisabetha Regina primo contenta videbatur:

fr-
gina
nam
qui
un-
con-
otos
que
am
tha
glo-
lla-
co-
let,
iod
eri,
fal-
liæ
de
æc
Ma-
us,
m-
mi
am
am
Eli-
ba-
ur:

tur; quoniam vero Maria se proximam Sæcul. XVI.
Regni hæredem declarari petebat, ad A C. 1561.
hæc Elisabetha respondit: „ Nolo me
„periculo exponere, ut solem Orientem
„a subditis meis adorari permittam, (*)
„nec unquam committam, ut Scotiæ
„Regina mihi viventi coronam eripiat,
„illud tamen a me expectare poterit,
„nunquam a me quicquam fieri, per
„quod me fatis functa, ipsius jus in An-
„glia Regnum aliqua ex parte læda-
„tur, aut imminuatur: vicissim vero æ-
„quitas petit, ut Maria quoque ob u-
„surpatum Angliæ Reginæ titulum, &
„insignia mihi plene satisfaciat, ac pol-
„liceatur, quod in posterum ab utroque
„abstinere velit.

§. LXIX.

*Scotiæ Reginæ rationes pro hoc fœ-
dere nullatenus confirmando.*

Scotiæ Reginæ ad eludendam Edinen-
sis fœderis confirmationem a se pe-
titam validissimis urgebatur rationibus;
probe enim sibi perspectum habebat,
quod

(*) Hoc proverbium Scotis erat usitatum,
quo indicabant, subditos magis esse propensos,
ut solem orientem, quam occidentem adorent,
seu potius Regni successori, quam ipsi Regi
adhæreant.

Sæc. XVI quod Elisabetha ex adulterino Henrici
A.C. 1561. VIII. concubitu progenita, nec ex Senatus decreto, nec ex Regis præfati testamento natalium jus, quod ipsi natura denegabat, consequi posset: hoc igitur stabilito Maria haud ignorabat, quod Angliæ sceptrum ad ipsam tanquam proximam defunctæ Reginae hæredem sit devolutum, ac quamvis Elisabetha coronam vi usurparet, eam tamen eidem eripiendi spes sibi reposita esset, opitulantis Franciæ, & Hispaniæ Regibus, summo Pontifice, multisque Angliæ Catholicis: si vero Edinense fœdus ratum haberet, sciebat, quod haud amplius Angliæ Reginae titulo uti posset, quinimo si juramenti Religionem, quod ab illo abstinere vellet, sese obstringeret, haud immerito timendum, ne postea suarum partium studiosi illam remissiori affectu prosequerentur: insuper omnibus in comperto erat, quod Franciscus II, dum hoc fœdus a suis Legatis firmari præceperat, nunquam illud ratum haberi intenderit, sed unice hac agendi ratione fuerit usus, ut copias suas e Scotia, ubi veluti obsessæ hærebant, educere, ac vicissim Elisabetham ad copias suas pariter exinde revocandas compellere posset. Altera demum ratio, quæ Mariam ad hanc fœderis repulsam permovebat, magis adhuc vali-

da

da erat; quippe illi Franciæ Legati, qui ^{Sæcul. XVI.} plenam agendi facultatem habebant, ^{A.C. 1561.} ac foederi subscribebant, articulis hanc inferi conditionem tolerabant: *inposterum Franciscus, & Maria a Regis, ac Reginae Angliæ titulo abstinebunt*: Maria vero æquam metuendi ansam habebat, ne hoc verbum, *inposterum* captiose fuisset ideo additum, ut hac ratione dolose induceretur, quatenus perpetuo ob Religionem suam Anglici sceptri juribus nuntium mitteret.

Hic quoque timor eo minus Mariæ temerarius videbatur, quo clarius Angli demonstrabant, quod circa Anglici sceptri successionem unice insistere velent Henrici VIII. testamento, in quo Margaritæ Scotiæ Reginae posteris nulla concedebatur dignitatis prærogativa, sed post Elisabetham confestim Suffolciæ Ducissa nominabatur; quapropter Regina sibi persuasum habebat, quod tunc, si foedus Edinense eo, quo conceptum erat, modo ratum haberet, spargendi ansam præberet, perinde ac si Henrici VIII. testamento sese conformaret, ex quo maximum tamen ipsi damnum accresceret: nihilominus Regina cum Legationem, quam ad Elisabetham decreverat, sibi parum proficuum cerneret, mox Mætellanum Comitem revocavit.

§. LXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LXX.

Seditio apud Livones mota.

*Neugbau
hist. Polon.
l. 8. Chytræ.
Saxon. l. 20.
Spend. n. 38.*

Sub idem tempus in Livonia Revaliæ Gubernator Erici XIV. Sueciæ Regis nomine Padensem Abbatiam, pluresque arces sub variis prætextibus occupabat, his tamen usurpationibus Poloniæ, & Daniæ Reges, necnon Lubecenses cives, ceterosque omnes, qui in mari mercaturam agebant, ad seditionem contra Ericum concitabat; inde enim Nerbana præpediebatur navigatio, cunctæque naves, quæ antea Nerbam vela faciebant, nunc Revaliam contendere cogebantur: quapropter prima hæc violentia funestum æque, ac diuturnum accendit bellum, vi cuius mutato totius Livoniæ statu cives sese Polonis submittere cogebantur.

§. LXXI.

Livones Polonis subiecti.

Thuan. l. 28. Itaque Livones has condiciones acceptare compellebantur. I. Mutatio Principis Livonici apud Cæsarem, aut imperium damno non sit, ac Confessionis Augustanæ professio libera permittatur. II. Nobilium privilegia confirmentur. III. Plena jurisdictio juxta leges, & consuetudines, ac mores antiquos servetur salvo provocationis jure. IV. Penes

Penes Magistratum Germanicum jus
dicendi facultas maneat. V. Magister
Ordinis Livonici, qui Poruffico sub no-
mine Ordinis Teutonici uniatur, Cur-
landiæ Dux creetur, eique ditioes no-
væ hæreditario jure attribuantur. VI.
Regi Poloniæ cedatur Transduinana
Provincia, necnon Riga cum omni ejus
territorio, ac jurisdictione, prout Im-
perio suberat, atque in ea Gotardus
Kethlerus novus Dux tanquam Regis Po-
loniæ Vicarii partes teneat. Alia deni-
que pacta ad compensationem juris, quod
Magno Holsatiæ Duci competebat, perti-
nentia, necnon immunitatem a bello, de-
bita, & monetam concernentia in eisdem
foederis articulis comprehendebantur.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

Hæc pacta fuere firmata Vilmæ die
vigesima nona Novembris, atque cir-
cumacto tridui intervallo Nobilitatis
privilegia per alia pacta confirmaban-
tur: denique Sigismundus Augustus,
Poloniæ Rex, Guilielmus Brandeburgi-
cus Rigenfis Archiepiscopus, & Gotar-
dus prior Ordinis Magister fidem so-
lemni jurejurando interponebant, ea-
que de re acta publice conficiebantur,
quibus & Rex pollicitus est, omnia
bona illicite a Livoniæ ditioibus se-
parata, aut per ultimos belli tumultus
a Moscis avulsa se recuperaturum, in
idque omnes opes suas insumpturum,
iisque

Sæcul. XVI. iisque recuperatis bello ablata antiquis
A. C. 1561. dominis restitutum.

Verum huic foederi sese opposuit Christophorus Megalopolitanus Rigensis Archiepiscopi Coadjutor, qui alium, præter Imperatorem pro summo domino suo agnoscere recusavit, moxque conscensa navi in Germaniam perrexit, ubi cum nullam a Cæsare, & imperii Ordinibus liberandæ Livoniæ spem reliquam videret, ad Sueciæ Regem confugit.

§. LXXII.

Ordo Livonicus in Germania extinctus.

Chytræus ib.
Et in append.
p. 974.
Thuan. l. 28. **M**ense Martio anni sequentis executioni foederis utrinque dabatur initium, ac præprimis Gotardus supremus Ordinis Livonici Magister ritu solemnibus dignitatis suæ juribus cedebat, eaque in Nicolaum Ratzevilium Vilmæ Præfectum, qui tum præfens aderat, transtulit, simulque Crucem, Sigilla, cunctaque diplomata ejusdem Ordinis, qui jam ab anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo a summis Pontificibus, atque Imperatoribus fuerat institutus, eidem Ratzevilio consignavit unacum arcis Rigensis clavibus, ejusdemque civitatis portis: insuper Commendatoris officium, jus eundem

Sæcul. XVI.
A.C 1561.

dendæ monetæ, piscium vectigalia, alia-
que Ordinis jura omnia Regi cedebat:
porro Sigismundus Augustus exemplo
Sigismundi I. Patris sui, qui eadem
ratione olim Porussiam imperio ablatam
juris Polonici fecerat, abolito Livonico
ordine, ac jurisdictione Archiepiscopali
extincta non alio medio Livoniæ tran-
quillitati consulebat, nisi ut Regni sui
amplificationi unice intentus etiam Re-
ligionem immutaret: denique abdic-
atione facta Gotardus, uti convenerat,
a Ratzevilio regiæ Majestatis nomine
dux Curlandiæ, ac Semi-Galliæ pu-
blice proclamatus est, & eidem tanquam
hæreditario Domino mox Nobilitas Cur-
landica, ac Semigallica solemni jura-
mento sese obstringere cogebatur: po-
stridie vero ab eodem Ratzevilio Regis
itidem nomine Gotardus summus Re-
giæ Majestatis Vicarius, ac Livoniæ
Gubernator in Rigensi curia renuntia-
batur, clavibus arcis, ac civitatis, quas
ei tradiderat, ipsi redditis.

§. LXXIII.

*Valachia, & Moldavia a Jacobo
Pari Marchione occupata.*

Sub idem tempus magna inter Va-
lachos regiminis immutatio fuit
subsecuta, quippe Jacobus natione Græ-
sus, qui usurpato Heraclidis, & Ba-
filici

Thuan. l. 6.
Neugobar
hist. Pol. l. 8.
Isthuenffhist.
Hungr. l. 20.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

filici nomine ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seque Intitulæ Samii in Ægæo Despotam, ac Pari Marchionem appellabat, apud Polonos Proceres, apud quos plurimum auctoritate valebat, tantum effecit, ut collectis undique copiis tandem cum suo exercitu Moldaviam invaderet, cui Provinciæ tum quidam Regulus nomine Alexander præerat, ob inauditas crudelitates populo suo maximopere exofus: hunc igitur Lascus, qui ex ceteris Proceribus præcipuus sese Jacobo adjunxerat, die decima octava Novembris adoriebatur, initoque certamine, quamvis viribus impar esset, ipsius tamen exercitum fudit, ac Tyrannum Regno suo exiit, totamque ejus ditionem Jacobo possidendam tradidit: porro novus hic Princeps mox pecunia in omnes Purpuratos, seu Bassas largiter profusa Constantinopolim profectus a Solimano impetravit, ut in novo suo Principatu confirmaretur,

§. LXXIV.

Magni Socinianorum progressus in Polonia.

Bibl. Antitrinit. in epitome Joannis

Cum Sigismundus Augustus omnibus, qui sese ab Ecclesiæ Catholicæ unitate segregabant, quamlibet sectam profitendi libertatem concessisset, Sociniani, seu

feu Unitarii hac Regis indulgentia tuti cum ceteris hæreticis Societatem inibant, donec tandem hi de abominandis Socinianorum erroribus edocti omne cum illis commercium respuerent: itaque novi hi Sectarii a ceteris exclusi pluribus in locis proprias suæ factionis Ecclesias erigebant, atque ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum tantopere suorum numero excreverant, ut Pindezovæ, Racoviæ, Lublini, Luclaviæ, Kioviæ, Cracoviæ, Novogardiæ, Volniæ, & alibi plures ejusmodi Ecclesias stabilirent, suamque Metropolitanam in urbe Cracoviana præter quoddam Collegium, ac typographiam erigerent: suas tamen Synodos Pindezovæ celebrabant, quapropter haud amplius Ariani, sed Pindezovienses appellabantur, ac sensim suorum potentia adeo prævalebant, ut in Conciliabulis, quæ regnante Sigismundo Augusto unacum spurixæ Reformationis affeclis in Polonia habebant, semper soli dominarentur: insuper Olesnieskus, cui Pindezova parebat, vir ingenio acer, atque ad quævis audenda proclivis juncta cum Stancaro opera Sacerdotes, & Religiosos aperta vi infectabatur, eis-

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

T que

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

Stoinii

p. 183. &

seq.

Hist. Ref.

Eccl. Pol. c. 4.

Stoupp Re-

lig. des Ho-

landois.

Sæcul. XVA. C. 156

que Pindezova ejectis sese omnium fidei desertorum Patronum palam declarabat, ejusque temeritate animati Blandratus, Gregorius Paulus, Crovicius, Statorius, Schomaunus, Brelus, Triacastus, Lascus, alique plures Pindezovam contendebant, ut Sanctissimæ Triadis mysterium impugnantes ibidem Ecclesiam conflarent, quæ postea Ministrorum, qui eidem præerant, petulantia, necnon rerum ibidem gestarum raritate adeo celebris evaserat, ut de hac hæreticorum colluvie in Polonia non minus honorifica haberetur mentio, ac quondam de Athenis in Græcia fiebat.

§. LXXV.

Primum Antitrinitariorum conventiculum Pindezovense.

Hist. Ref. l. c. Postquam novi Ariani cum Protestantibus Religionis certamen inire postulabant, primum conventum Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Pindezovæ sub Olesnieski auspiciis habuerunt, statuentes, ibidem Fratrum Moravorum, qui Valdenses dicebantur, Anapabstitarum, Hussitarum, pluriumque aliorum doctrinam, Religionem, mentemque esse examinandam.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.
A.C 1561.*Varsoviensia comitia, & Sceminien-
sis Synodus.*

Anno sequenti Varsoviæ celebrabantur comitia, in quibus post crebras disceptationes inter Prælatos, & Catholicos contra spurios Reformatores habitas, tandem Præsules statuebant, condendum esse decretum, vi cuius adulterini Evangelii Præcones, qui in Procerum ædibus, ac castris degunt, procurare tenerentur, ut a locorum Episcopis instituantur, atque approbentur, eo fine, ut deinceps juxta Sanctorum Patrum doctrinam Evangelium prædicent, necnon decimas, aliaque jura Ecclesiastica persolvant: Verum hi, ut ejusmodi decreti vim eluderent, mentiebantur, quod præfati Patres ab Apostolicæ fidei puritate, & Virorum Apostolicorum, quinimo ab ipsa Nicæni Concilii doctrina recesserint: porro hoc responso tantum effecere, ut in pristina, qua fruebantur, libertate relinquerentur, ne sua Catholici violenter ab eis privarentur: concessa igitur hac libertate Pindezovenses, necnon prætensi Reformatores Sceminix conventum agunt, in quo Petrus Gonesius palam propugnare audebat, quod Pater æternus major sit Filio, & Spiritu sancto,

T 2

fo-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561. solumque Apostolorum Symbolum sit nostræ fidei Regula, inter mera autem hominum commenta reputentur Nicænum, illudque, quod Divo Athanasio adscribitur: insuper affirmabat, quod Sanctissima Trinitas non sit Deus, Filius vero Patre minor existat, sitque quidem Deus verus, talis tamen, qui semper honoravit Patrem suum, a quo id totum, quod est, recepit: idioma- tum autem communicationem æque, ac Verbi cum Patre consubstantialitatem nil nisi chimæram dicebat, atque istis omnibus erroribus simul hæc Blasphemias subjungebat, effutiens, Verbum, quod est invisibile, in Virginis sinu transmutatum fuisse in carnem, aut Deum mutatum esse in hominem. Has impietates Gonesius a Serveto mutuabat, easque spurii Reformatores detestabantur, atque inter eos Melancton, qui adhuc vita superstes erat, in consilium vocatus hanc doctrinam palam Arii hæresin sapere decidebat: ast insuperhabita hac definitione Gonesius nullatenus sententiam suam mutabat.

§. LXXVII.

*Aliud Pindzovense Socinianorum
conventiculum.*

Hist. Ref.
l. c. Sandius
Bibl. p. 184.

Anno Christi millesimo quingentesimo
quinquagesimo octavo Pindzovæ
aliud

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

aliud habebatur colloquium, cui Blandratus, Gonesius, Stancarus, Lissaminus Fratrum Minorum Apostata, & Crovicius intererant, quos inter potissimi Patrem æternum Filio esse superiorem juxta Serveti principia propugnabant, alii vero hanc doctrinam refellebant, unde inter eos ingens exorta est verborum contentio: equidem Andreas Subiniesekus Synodi Senior dissidentes componere adlaborabat, seque prosperi successus spe lactabat, dummodo dogma de Deo uno, ac in Personis trino a communi fide penitus eliminaret: ut ergo id assequeretur, Mense Novembri ejusdem anni novum indixit conventum, in quo Joannes Lascus, Gregorius Paulus, Stanislaus Sarniecus, aliique convenerant: verum rursus post crebras altercationes re infecta discessum est: Die autem decima quinta Decembris Ministri denuo Briscii in Lithuania cœtum cogebant, qui jamjam nona, quam celebrarunt, Synodus erat, in qua Gonesius ceteris petulantius declamans parvulorum Baptismum impugnabat, & illum nonnisi humanum esse commentum affirmabat, atque librum a se hanc in rem compositum producebat, quem cum Pindezovienses prælegi juberent, adulterinæ Reformationis Ministri frementes doctrinam,

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

nam, ob quam Anabaptistæ toties jam fuerant damnati, detestabantur, ac Gonesio litem intendere moliebantur: Hieronymus tamen Picerskius tumultuantes sedabat, quamvis hæ induciæ non nisi ideo in itæ viderentur, ut postea ad acrius utrinque bellum via sternatur. Interea Gonesius, cum de Trinitatis Mysterio, Personarum distinctione, idiomatum communicatione, ac duplici natura in Christo, aliisque fidei articulis, qui a Protestantibus æque, ac a Catholicis recepti sunt, differeret, cuncta hæc Mysteria negabat, affirmans, ea non nisi fabulas esse Romanorum Præfulum auctoritate in Ecclesiam intrusas.

Verum fictitii Reformatores novis hisce Gonesii ausibus incitati querelas suas innovabant, quapropter hujus conventiculi Præses sub anathematis pœna Gonesio inhibere cogebatur, ne imposteros errores suos hucusque propositos propugnare præsumeret; (*) at
bruta

(*) Si Catholici in Protestantes ejusmodi interdictum tulissent, in quas, quæso, querelas sese effudissent hi Sectatores, nonne conscientis vim inferri, ac Evangelii doctrinam defendendi libertatem adimi fuissent vociferati, cum tamen eodem jure hi Antitrinitarii æque, ac Lutherani suos errores ex Sacrarum literarum abusu propugnarent.

bruta erant hæc fulmina; Gonesius enim Reformatorum anathemata in ipsum intentata flocci habebat, Phanaticorum more respondens, quod interno Dei lumine illustratus potius Deo, quam hominibus obedire teneatur: inde vero Picenskius potens Gonesii fautor coram Synodo contra errores, atque abusus, quos in veram Ecclesiam irrepsisse mentiebatur, declamandi ansam arripuit, tantaque verborum amplitudine, animique vehementia peroravit, ut plures ad ejus studia pertracti doctrinam Gonesii amplecterentur: eapropter in superhabito Præfulum studio, ac spuriorum Reformatorum molimine, nec non vilipensa anathematis poena, quæ in hosce Trinitatis, ac parvulorum Baptismi hostes intentabatur, iidem Gonesii errores circa Patris æterni superioritatem, ac parvulorum Baptisma tam prompte in Pindezovana Ecclesia recipiebantur, ut deinceps infantes haud amplius salutari aqua tingerentur. Hujus innovationis potissimi Authores creduntur Blandarus, & Lismaninus, qui etiam de hoc argumento acrem habebat disputationem cum Gregorio Paulo, qui nondum penitus Antitrinitariorum blasphemias subscripserat, nec palam professus erat, Patrem Filio esse majorem.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LXXVIII.

Alicæ Synodi in eadem Urbe celebratæ.

Sandius
p. 185.

Cum commentitiæ Reformationis
focii suarum Synodorum decreta,
ac censuras contra hosce rebelles vibra-
tas vilipendi ægerrime ferrent, ira com-
moti Anno Domini millesimo quingen-
tesimo quinquagesimo nono jam decima
vice conventum instituerunt, ac sui
conciliabuli Præsidem nominarunt Joan-
nem Lascum, & Sarnicium ambos Pro-
testantium sectæ addictissimos, jura-
tosque Pindezoviensium hostes. Hi
edito decreto omnes Ministros ad red-
dendam doctrinæ suæ rationem adige-
bant, sed incassum omnia, unde die
vigesima secunda Novembris eodem
Anno rursus Pindezovæ conventum ha-
bebant, in quo tamen Stancarus vehe-
menter declamans propugnabat, quod
Christus Dominus duntaxat secundum
naturam humanam noster sit Mediator:
nec his contentus, insuper Remigii
Chelmski literas prælegi jussit, in qui-
bus significatum, quod Poloni Proce-
res anxiiis curis agitentur, an licitæ
sint preces ad Spiritum Sanctum di-
rectæ, eoquod harum precum potissimæ
in fine referantur ad Patrem per Filium.
Fertur, hasce anxietates Proceribus
fuisse suggestas per Statorium Theodo-
nis

nis Villanum. Denique Anno Christi ^{Sæcul. XVI.}
 millesimo quingentesimo sexagesimo ^{A. C. 1561.}
 Mense Septembri Novatores Xianzi alium
 celebrabant conventum, quem ipsi de-
 cimam octavam appellant Synodum, in
 qua Blandratus tantopere ingenii sui
 aciem ostentabat, ut idem, quamvis
 esset fugitivus, Ecclesiarum tamen, quæ
 in minori Polonia erant, Senior salu-
 taretur.

§. LXXIX.

Decima nona Pindezoviensis Synodus.

Ineunte anno Salutis nostræ millesimo ^{Bibl. Ant.}
 quingentesimo sexagesimo primo die ^{p. 185.}
 trigesima Januarii rursus falsi Reforma-
 tores, ac Pindezovienses decimum no-
 num Conciliabulum Pindezovæ habe-
 bant, ibidemque responsum Chelmskio
 datum, necnon novam prærogativam
 Blandrato concessam discutiebant, ibi-
 demque Satorius, qui suam doctrinam
 veluti firmis argumentis stabilitam ven-
 ditare unice gestiebat, sibi a probatæ
 fidei Viris nuntiatum esse proposuit, quod
 Chelmskius nequaquam de accepto re-
 sponso contentus esset: his etiam addi-
 dit: „mihi Chelmskius suam hac super
 „re mentem datis literis aperuit, rem
 „tamen penitus rimari, aut disertis
 „verbis sententiam suam desuper pan-
 „dere minime ausus est: cum vero ho-

T 5 die

Sæcul. XVI.
A. C. 1561

„die ea mihi fors contingat, ut coram
 „ejusmodi Viris comparere possim, qui
 „de mea doctrina iudicium ferre, eam-
 „que penetrare valent, atque aliunde
 „Sacri Evangelii Minister, si opus est,
 „veritatem propalare nullatenus eru-
 „bescere debet, hinc enormem committi
 „idololatriam, si Spiritus Sanctus in-
 „vocetur, palam profiteor, ac semper
 „quotiescunque libuerit, demonstrare
 „paratus sum; quod nullo Sacræ Scri-
 „pturæ textu comprobari possit Spiri-
 „tus Sancti Divinitas, nec etiam illius
 „adoratio. vel invocatio, imo nequi-
 „dem ipsa fides, qua in eum credere
 „tenemur.,, Hæc verba, quamvis im-
 „pietatibus plena, nihilominus quibus-
 „dam vero fat similia videbantur, unde
 „ea etiam ab universa Synodo acceptari
 „postulabant: alii vero exinde graviter
 „offensi illorum Authorem in jus vocari
 „petebant, eumque de errore ex Sacro
 „Codice convincere parabant. Verum
 „Statorius, cum verborum abundantia
 „polleret, sacrasque literas ad suum
 „scopum pro suo arbitrio detorquere nos-
 „set, ipse suos adversarios præveniebat,
 „illisque ex ipsismet sacris libris probare
 „nitebatur, quod Spiritus Sanctus nec
 „sit Deus, nec ullo cultu honorandus.

§. LXXX.

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.*Statorii blasphemice contra Spiritus
Sancti Divinitatem.*

Ex argumentis, quæ Statorius afferbat, erat primum: Spiritus Sanctus non est Deus; cum enim Apostoli fidelibus de Spiritu Sancto doctrinam traderent, duntaxat illis dixerunt: probate, an Spiritus vester sit ex Deo, vel non: item, videte, an sitis a Spiritu sancto, vel an sitis ex Deo: ergo Apostoli Deum a Spiritu sancto distinguebant. II. Spiritus Sanctus non est Deus, quia non est vita æterna, nec supremum bonum, nec ille finis, ad quem tendere debemus, cum enim Christus Dominus homines doceret, in quonam consistat vita æterna, ac quænam media ad illam conducant, dixit solummodo: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te, (Patrem) solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Insuper Christo Domino miracula operante, Evangelistæ nos sedulo admonent, quod eorum plura adhuc patrarit, ut ejus discipuli crederent in illum, quia ipse est Christus Filius Dei vivi, & ut credentes vitam habeant in nomine ejus; in hoc autem loco de Spiritu sancto nec tanquam fine nostro ultimo, nec tanquam medio, per quod ad illum finem

*Lubieneski
h. st. Ref.
Eccl. Polon.
cap. 5.*

nem

Sæcul. XVI.
A. C. 1561

nem pervenire possumus, mentio fit.
 III. Spiritus Sanctus non est Deus, quia non est Trinitatis Persona; Christus enim, dum in cœlum ascenderat, suis Apostolis dicebat: Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum: nihil tamen de Spiritu sancto locutus erat. IV. Non est Deus, nec in ipsum, nec ipsi credendum est, quando enim Christus ea, quæ credamus, necnon illum, in quem credendum sit, nos docuit, agebat quidem: credite in Deum, & credite in me, non autem nobis præceperat, ut etiam in Spiritum sanctum credamus: dum autem Apostoli in Symbolo suo dicunt: *Credo in Spiritum sanctum*, inde haud sequitur, quod hic Spiritus sit Deus; in eodem enim Symbolo etiam in Ecclesiam credere jubemur, nec tamen propterea Ecclesia Deus est, cum Apostoli duntaxat velint, ut credamus, quandam dari virtutem, quam Deus in cordibus nostris excitat, atque ad mensuram iis, quibus vult, concedit, ut distinguamur a Christo Domino, cui Deus hanc virtutem dedit in tota plenitudine sua: quinimo cum Spiritum sanctum nobis det ad mensuram, illumque in plures partes dividat, eo ipso Deus non est, qui ex natura sua partes non habet, nec dividi potest:
 non

non igitur, inferebat Statorius, ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem solum per Filium, vel ad illum, qui nobis hunc Spiritum sanctum ad mensuram dat, preces nostræ sunt dirigendæ, quinimo si Deus non est, nullus latriæ cultus ei deferendus est.

§. LXXXI.

Vana Protestantium molimina in confutandis hisce erroribus.

Enimvero fictæ Reformationis Ministri plures Sacræ Scripturæ textus producere nitebantur, ut negativa, prout vocant, Statorii argumenta refellerent, quæ quidem re ipsa nullatenus contra Spiritus Sancti divinitatem militabant: cum vero Statorio utpote Viro admodum pertinaci illa oppido clara, ac intellectum convincentia viderentur, ad traditionem, atque interpretationes, quas Veteres Sancti Patres hisce textibus accommodabant, recurrere oportebat: verum cum spurii hi Reformatores nil nisi Sacras Literas admitterent, nec etiam in eorum Synodo traditionum, Patrumque auctoritas acceptaretur, hinc eorum disputatio in propudiosam animorum contentionem, ac mutua convitia degenerabat: inde tamen Statorius adeo parum commovebatur, ut potius, cum se non nisi injuriis

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

riis confutari cerneret, firmiter sibi persuasum haberet, quod pro veritate pugnasset, unde fictitia hac victoria elatus, perinde ac si omnium Magister esset, ulterius perorabat, palam questus de agendi ratione, quam Genevenses Ministri, ac præcipue Calvinus hucusque tenuissent: hunc enim accusabat, quod violatis omnibus charitatis, ac justitiæ legibus Blandratum divexarit, eumque hæresis insimulans, lata sententia, cuius autographum penes se habebat, ac in confessu proferebat, eidem infamiae notam inusserit. Postmodum hæc sententia prælegebatur, nec deerant, qui eandem æquitati apprime consonam rati multis deprædicarent elogiis: cum igitur Statorius querula voce sua parum proficeret, tandem in hæc verba prorupit: „Calvinum haud decet, ut fratres suos Arianæ hæresis insimulet, cum ipsemet sit Sabellii secta infectus; „admittit enim tres Deos, scripsitque, „Deum non esse genitum, genitum vero „Filius, & Spiritum Sanctum esse productum: immerito autem Blandratus „æque, ac ego accusamur, & tanquam „heterodoxi traducimur, cum circa „hæc quæstiones controversas non „aliis utamur verbis, quam illis, quæ „a Reformatis Ecclesiis adhibentur: „de cetero, si in Patrem, Filium, & Spiritum

„Spiritum Sanctum credere, ac circa Sæcul XVI.
A.C. 1561.
 „hoc mysterium ea omnia, quæ de eo
 „Sacræ Paginæ loquuntur, profiteri,
 „& præter ea nil aliud admittere, hæ-
 „reticum est, tunc ingenue fateor, me
 „esse hæreticum, atque pro defensione
 „fictæ hujus hæresis omnia perpeti pa-
 „ratum esse, quæcunque contra fidem
 „meam invidia, ac hostium meorum
 „malitia concitare poterunt; mihi enim
 „sufficit æquum fidei meæ testimonium,
 „quod mea mihi conscientia suppedi-
 „tat., (*)

§. LXXXII.

(*) Equidem Statorius haud immerito Cal-
 vinum tanquam Sabellianum, atque Arianæ
 hæresis restauratorem nominabat, quippe ex
 ipsis Lutheri assèctis non pauci, ac præcipue
 Jacobus Andreas celebris ille Tubinganus Can-
 cellarius testantur, in Polonia, Transylvania,
 & Hungaria quamplurimos in Arianismum,
 imo & Mahometis superstitionem ideo fuisse
 prolapsos, quia illis Calvinus sacrilega sua do-
 ctrina latissime januam aperuit: insuper Ada-
 mus Neuserus quondam Heidelbergensis Præ-
 co, ac primo Lutheranus, postea Calvinista,
 dein Arianus, ac denique Mahometanus in
 epistola ad Stephanum Gerlachium anno 1574.
 scripsit, neminem se vidisse, suo tempore
 Arianum factum, qui non prius Calvinista
 fuerit: His addit Josephus Biner in suo Ap-
 paratu

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LXXXII.

*Iidem errores non sine adstantium of-
fensione a Blandrato pro-
pugnati.*

*Zubien. l. c.
cap. 5. & 6.
Sandius
p. 186.*

Cum ergo Blandratus amico suo, qui
ejus causam adeo strenue tueba-
tur, opem ferre satageret, pro vindi-
cando

paratu part. 7. l. 2. cap. 3. art. 3. fol. 314. *Adeo
nimirum scite Calvinus in iis, quæ de Trinitate,
Incarnatione, Eucharistia, Baptismo, Præ-
scientia, & Prædestinatione impie scripsit, in-
felicem hanc gradationem docet, utque præco-
nes Tigurini devotionem suam erga Mahome-
tismum toti mundo luculentius ostenderent, Al-
coranum, imposturis, spurcitiis, & blasphemis
plenum, dignum judicarunt, quem per Biblian-
drum versione latina donarent: demonstrare,
credo, volebant, quale Evangelium populo an-
nuntiarent. Certe Florimundus Ræmundus
lib. 4. de ortu hæresum. cap. 9. prælongam,
& exactam parallelam ducit inter Evangelium
Mahometis, & id, quod novi isti Apostoli præ-
dicarunt, ostenditque prolixè similitudinem
quoad dogmata, & doctrinam fidei, quoad
propagationem violentam, armis, & provin-
ciarum incendiis peractam, quoad variatio-
nem suæ utriusque Religionis in sectas in-
numeras divisæ &c. exhibet denique idem
auctor conatus protestantium, ut cum Turcis
fœdere jungantur in Christianorum perniciem.*

cando honore suo non minus audacter, *Sæcul. XVI.*
 ac antea Statorius declamabat, præ- *A. C. 1561.*
 primis affirmans, quod præter ea,
 quæ disertis verbis in Sacro Codice
 continentur, aut saltem clara, ac intel-
 lectum convincente, sponteque fluente
 consecutione deduci queunt, nihil sit
 credendum, eoquod fides tam in suo,
 quod habet, motivo, quam objecto
 simplex, ac divina sit. Huic errori ad-
 jecit, quod ea, quæ in Symbolo Apo-
 stolorum comprehenduntur, non ad-
 modum consona sint Sacris literis, mi-
 nus vero his consonent illa, quæ con-
 tinentur in Symbolo Nicæno, vel Con-
 stantinopolitano, aut in illo, quod D.
 Athanasio adscribitur. Verum Hiero-
 nymus Offolinskus Vir Nobilis hanc
 Blandrati temeritatem indignatus, Sy-
 nodi nomine eidem, quod perversis a
 se propugnatis, atque inter fideles disse-
 minatis dogmatibus universo confessui
 gravem præbisset offensionem, denun-
 tiabat: ut vero hujus exprobrationis
 æquitatem comprobaret, in testem ad-
 vocabat Lismaninum tunc præsentem,
 qui iniquo ferebat animo, quod Stan-
 carus quemdam perversum librum cui-
 dam fœminæ Nobili legendum dedisset.
 Ast Lismaninus, cum opinionem Blan-
 drato adversam propugnasse, credi haud
 vellet, se hac super re in testem
Hist. Eccles. Tom. XLIV. U fuisse

Sæcul. XVI. fuisse vocatum ægerrime ferebat, mox-
A.C. 1561. que Patris æterni prærogativam supra
 Filium rursus urgere cæpit, hancque
 blasphemiam Ossolinskio persuadere co-
 natus est, adducta veterum Patrum
 auctoritate, prout jam antea fecerat in
 sua epistola ad Joannem Charninskium;
 unde frequens, eaque accerrima orie-
 batur verborum altercatio, qua in con-
 vitia desinente sese mutua objurgatione
 tanquam hæreticos traducebant: ceterum
 hi, qui reliquis magis moderati videbantur,
 ut contentioni finem imponerent, illos,
 qui Blandratum, & Lismaninum hæresis
 postulabant, ad id adigebant, ut læsum
 honorem eis repararent, ea tamen lege,
 ut Blandratum fidei professioni subscriberet,
 quo facto ab hæresis crimine, de quo ac-
 cusatus esset, immunis haberetur.

§. LXXXIII.

Synodi, & Ratzevilli Palatini epistolæ ad Calvinum.

Cum Calvinus sua arrogantia, ac literis ad Blandrati ignominiam, qua in hoc Pindezoviensi conventiculo obruebatur, haud parum contulisset, hinc hæretici haud abs re fore censebant, ut Synodus datis ad Calvinum, & Bullingerum literis ambos de rei gestæ serie certiores redderent; itaque Lis-
 mani-

maninus hæc epistolas confarcinandi provinciam in se suscipit, eas vero Anno sequenti Ezechovius Genevam defert, unacum Ratzevilli Palatini literis, in quibus is hæc significabat: „Blandratum condemnare haud possum, cum mihi persuasum habeam, quod is in Deo tres consubstantiales, coæternos, & coæquales sincera fide admittat: si vero me nonnulli ad hunc Virum condemnandum vi adigere vellent, necesse foret, ut Genevenses, & Tigurini Ministri hanc doctrinam prius condemnarent.„ Ex hisce literis colligi videtur, quod Ratzevillus nequaquam solius Calvinii iudicio stare voluerit, atque illius integritatem ob eius odium, quo in Blandratum flagrabat, valde suspectam habuerit: porro post tot, tantasque altercationes tandem Synodus solvebatur, haud alio successu, nisi quod Luthoremiskius a Pindezo- vensi Ministerio submotus, Superintendens, seu Poloniæ minoris Ecclesiarum Episcopus fuerit nominatus.

§. LXXXIV,

*Alia Conciliabula Cracoviæ, & Pinde-
zovæ celebrata.*

Die decima sexta Septembris eodem anno Sectarii alium Cracoviæ habebant conventum, quem ipsi vigesi-

U 2

mam

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

*Epit. Joh.
Stoimii apud
Sandium
p. 186.*

Sæcul. XVI. mam Synodum appellitant: Ibidem
A. C. 1561. Calvini epistola, quam Ezechovius Geneva secum detulerat, prælegebatur, in qua hic hæresiarcha spurixæ suæ Reformationis Ecclesias, ac præcipue Cracoviensem, & Pindezovanam hortabatur, ut Blandratum vigili admodum oculo observarent, sibique ab ejus doctrina sedulo caverent. Displicebant hæ literæ quam plurimis, præprimis Ossolinskio, qui palam exclamabat: utinam nunquam de Trinitatis mysterio lingua, aut calamo actum fuisset! his autem verbis Sanctos Patres, & Concilia, a quibus hoc mysterium edocti sumus, haud obscure redarguebat, simulque insinuabat, foli sacre Scripturæ circa illud esse insistendum. Querenti Ossolinskio mox suffragabantur Blandratus, & Lismaninus, qui, cum potissimum eorum causam agi cererent, vociferabantur: „Vah! loquantur omnes Doctores de fidei mysteriis, quicquid velint: relinquunt tamen nobis unum Deum solum, nec illum dividant, postea sibimetipsis, per nos licet, fingant talem Mediatorem, qualemcunque velint, nulla nobis de hoc cura est.” Verum cuncti hi clamores, & lamenta nonnisi aerem verberabant; tantum enim prævaluere Calvinæ literæ, ut Blandratus circa Trinitatis

nitatis Myſterium, & Perſonarum con-
 ſubſtantialitatem quoddam ſuæ ortho-
 doxiæ ſignum edere cogeretur, quod
 & præſtitit, dum fidei normæ in com-
 mentitiæ Reformationis Eccleſiis paſ-
 ſim receptæ ſubſcripſit: crimini autem
 dabatur Liſmanino, quod circa Patris
 æterni prærogativam ſupra Filium lite-
 ras ad Joannem Charniſkium dediffet.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Inſuper hoc eodem anno Domini
 milleſimo quingentefimo ſexageſimo pri-
 mo die decima nona Novembris in præ-
 fata Pindeſoviænſi urbe aliud cogeba-
 tur Concilium, in quo Proteſtantes
 Statorium ob blaſphemias nuper con-
 tra Spiritus Sancti Divinitatem effuſas
 caſtigandum eſſe contendebant; qua-
 propter mentem ſuam clariuſ ſcripto
 explicare jubebatur: aſt ille nonniſi
 quantum ad aliqua dogmata explica-
 tionem ſubjecerat, necnon hæc, ut ſen-
 tentiam ſuam vendicaret, expoſuerat:
 „quoniam Miniſtri de Blandrato con-
 „tenti ejus fidem, quamvis a Calvino
 „damnatam, commendaffent, hinc cen-
 „ſeo, me haud amplius circa Ortho-
 „doxiam meam eſſe moleſtandum, præ-
 „cipue cum & ego circa motæ quæſtio-
 „nis articulos fidem a Blandrato mini-
 „me diverſam profitear: ſi vero illi, qui
 „in Patrem, Filium, & Spiritum San-
 „ctum credunt, dicendi ſunt hæretici,

U 3

ne-

Sæcul. XVI., „neceſſe eſt, ut & ego ſim hæreticus,
A C 1561 „cum hanc quoque fidem teneam.,
 Hoc pacto rurius hoc quoque conven-
 ticulum fuit diſſolutum.

§. LXXXV.

Socinianismi initia in Tranſylvania.

Pariter hoc anno Domini milleſimo
 quingentefimo ſexageſimo primo
 Socinianorum hæreſis Tranſylvaniam
 devaſtare cæperat; quippe Joannes Si-
 gismundus Zapolius, Joannis Zapolii
 Scepuſi Comitſis Filius, ac Tranſylva-
 niæ Princeps a Franciſco Davide Con-
 feſſioni auguſtanæ addicto, ac ſpurie
 Reformationis Eccleſiarum, ut vocant,
 Superintendente ſeductus in Socinia-
 norum errores prolapſus erat. Cete-
 rum hic idem David acri diſſidio colli-
 debatur cum Martino Calmonekio Sa-
 cramentario, qui inſignis Præco, nec-
 non vaſerrimus, atque in controverſis
 quæſtionibus peritiſſimus erat, & inſu-
 per a Claudiopolitanæ urbis Epifco-
 palis, quæ vulgo Colosvaria appella-
 tur, Governatore plurimi habeba-
 tur: porro inter ambos hoſce viros ju-
 riorum cauſa oriebatur ex adventu
 hæreticorum quorundam, qui recens
 Geneva, ac Tiguro in Tranſylvaniam
 delati, ſuorum dogmatum novitate Pro-
 teſtantium Eccleſias in præfato Prin-
 cipatu

cipatu fitas tantis involvebant dissen-
 sionibus, ut omnes, cui adhærendum,
 aut quorum opiniones amplectendæ,
 dubii hæerent; hinc David, ut hæc
 ambiguitates tolleret, præfente Joanne
 Sigismundo, ceterisque Proceribus pu-
 blicum institui colloquium petebat, ac
 præprimis Martinum Sacramentario-
 rum Præconem omnesque novos hosce
 advenas provocabat, postulans, ut co-
 ram ipso suas propugnarent opiniones:
 igitur certaminis discrimine utrinque
 acceptato ea proponebatur conditio, ut
 futuræ disputationis acta ad Philippum
 Melanctonem tunc adhuc vita super-
 stitem transmitterentur; inter partes
 enim erat conventum, quod hujus Viri
 iudicio stare teneantur. (*)

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

U 4

§. LXXXVI.

(*) Proh pudor! Protestantes in fidei du-
 bii iudicio summi Pontificis stare detrectant,
 & ut suis quæstionibus finem imponant, pri-
 vati cujusdam Doctores iudicio stare non eru-
 bescent! ubi jam est clarus ille Sacræ Scri-
 pturæ sensus? ubi privatus eorum Spiritus,
 unicus controversiarum iudex tantopere ab
 eis commendatus?

Sæcul. XVI.

A.C. 1561

§. LXXXVI.

*Sigismundi Transylvaniæ Principis
epistola ad Wittenbergensem,
& Lipsiensem Uni-
versitates.*

Paulopost Joannes Sigismundus ad Wittenbergensem, & Lipsiensem Universitatem literas perscripsit, in quibus sese ad novos errores admodum propensum exhibebat, ejusque epistolæ sequens erat tenor. „Eo, quo teneris ab „annis purioris doctrinæ studio, atque af- „fectu in vos ferimur, nos quoque ad id a- „digimur, ut non sine animi amaritudine „novas doctrinas a quibusdam Zwing- „lii, & Calvini Sectatoribus in regnam „nostrum (intellige de Hungariæ Regno, „cujus duntaxat titulum Solimanus ei reliquerat) sparsas tolerarem: Ve- „rum magis adhuc dolor noster auge- „scit, dum cernimus, quod fideles nostri „subditi in Hungaria, & Transylvania „tot novarum opinionum diversitate in- „ter illos disseminata adeo turbentur, ut „illi quid credere debeant, ipsimet igno- „rent; itaque ad subditorum nostrorum „preces in nostra Magyessia civitate con- „ventum indiximus, ut tandem, quæ „circa Cænam Domini credenda sint, „dispiciamus &c. Cum autem nobis „persuasum sit, quod vobis magis cele-

„celebres Theologos nullibi reperire
 „possimus, eapropter ad vos perscri-
 „bere, ac vestrarum Universitatum ju-
 „dicium sequi decrevimus, idque con-
 „sultum fore censuimus, vobisque con-
 „troversas opiniones transmittimus, ut
 „desuper disertis verbis ultimam fera-
 „tis sententiam, quam juxta Dei verbum
 „instruatis (*) inde enim speramus, fore,
 „ut vos turbatis conscientiiis, atque
 „Ecclesiis in nostra ditone afflictis tran-
 „quillitatem reddatis, hacque ratione
 „opus Deo gratum, vestri Ordinis Chri-
 „stiani dignum, nostrisque Ecclesiis
 „proficuum perficiatis, vestraque sen-
 „tentia grato animo a nobis recipiatur.
 „Datum Weissemburgi, (quæ Urbs ho-
 „die Alba Julia appellatur) die vigesi-
 „ma Septembris anno Domini millesi-
 „mo quingentesimo sexagesimo primo.,

U 5

§. LXXXVII.

(*) Ergo ne Protestantes Hungariæ, & Transilvaniæ Ministris verbo Dei, ac privato illud intelligendi, ac interpretandi Spiritu caruere? Fortassis Protestantium Religio in Transilvania præter Sacras literas etiam Universitates tanquam Judices fidei infallibiles admittit, proin Religionis summa juxta diversitatem Regionum, temporis, aut circumstantiarum diversam etiam induit essentiam, tandemque in mere politicam, ac humanam transit legem.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

§. LXXXVII.

Cophti ad Tridentinam Synodum a
Papa invitati.

*Rain. ann.
1560. n. 77.
Simon hist.
crit. de la
creance des
court. des
Nation. du
Levant c. 10*

Cum summus Pontifex ex omnibus hisce diversis erroribus Ecclesiam devastantibus fatis aperte cognosceret, promptam Concilii inchoationem summo opere esse necessariam; hinc suis Legatis jamjam Tridentum delatis injungebat, ut ineunte anno sequenti (*) Concilio initium darent: nec his contentus Pontifex, insuper ad hanc Synodum Cophtos pellicere aggrediebatur. Cophti erant Christiani Jacobitæ, seu Monophysitæ in Ægypto habitantes, qui Dioscori Patriarchæ Alexandrini erroribus adhærentes unicam dumtaxat in Christo naturam admittebant, eorumque Ecclesia a decem, vel undecim Episcopis, unoque Patriarcha a præfatis Præsulibus, Clero, ac populi Primoribus electo, qui sese Patriarcham Alexandrinum nominabat, regebatur: porro iidem cum Græcis circa præcipuos fidei articulos, præsertim circa opiniones, ritusque, in quibus eorum Eccle-

(*) Observes velim, hæc gesta fuisse anno Domini 1560. ut patet ex Pontificis epistola ad Christophorum Roderiquez Apostolicum in Ægypto Nuntium.

Ecclesia a Latina discrepat, omnino consentiunt, atque a Divi Marci temporibus fuorum Patriarcharum successio non fuit interrupta.

Sæcul. XVI.
A C 1561.

§. LXXXVIII.

Duo Jesuitæ ad Cophtorum Patriarcham a Papa ablegati.

EO tempore Gabriel Patriarchali dignitate sub Pio IV. fulgebat, datusque ad eundem literis quempiam ad se transmitti petebat, ut de opportunis suam Ecclesiam Romanæ uniendi mediis cum illo conferre posset. Annuit Pius IV. Patriarchæ desideriiis, hancque in rem ablegat duos Jesuitas, Christophorum Rodericum natione Hispanum, & Joannem Baptistam Elianum Ægyptium, qui abjurata Judæorum superstitione Christianorum sacra amplexus erat; igitur ambo Venetiis die prima Octobris hoc anno unacum Abrahamo portu solvunt, ac juxta Ægyptiorum Sacerdotum morem vestiti die tertia Novembris Alexandriam veniunt: cum autem Patriarcha Cairi ageret, cum illo nonnisi die vigesima quinta Decembris Dominicæ Nativitati sacra conferre poterant, illumque Virum ætate quidem oppido senem, literarum vero omnino expertem experti sunt, ab eo tamen perbenigne, ac honorifice excepti literas summi

Sacchini hist.
Soc. l. 5.
n. 135. l. 6.
num. 121.
Aug. Oldoinus apud
Ciaccon. in
vita Pii IV.
p. 880.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

mi Pontificis eidem porrigebant, ex quibus cum Patriarcha, ut Legatum ad Tridentinam Synodum decerneret, a Papa se rogari perlegeret, amplissimis ipsius Pii IV. nomine ei oblatis promissis captus pollicebatur, quod proximo vere quemdam ex suis Episcopis unacum Abrahamo, qui jam Romæ agebat, Tridentum mittere velit: rogatus quoque Patriarcha a Roderico, ut simul etiam quosdam Cophtos juvenes Ecclesiæ Catholicæ doctrinis imbuendos Romam mitteret, respondit, quod hanc petitionem maturius discutere velit; timendum enim, ne Turcæ aliunde gens admodum suspiciosa inde offenderentur.

§. LXXXIX.

Cophthorum errores.

Simon l. c. Postea Patriarcha hisce duobus Legatis significabat, quod Cophtos ad Romanæ Ecclesiæ unionem revocare, haud adeo magni moliminis res esset, cum aliunde ingenio admodum facili forent, quibus dictis eorum errores enarrans inquiebat: „In more positum „habent eorum mariti, quod repudiatis „uxoribus suis, vivente prima aliam „ducant, suosque infantes masculos, „priusquam illos Baptismo ablui per- „mittunt, circumcidant, atque Baptismo per

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„per immersionem utantur, omnesque,
 „quotquot ad recipiendum hoc Sacra-
 „mentum offeruntur, trina vice in a-
 „quam demittant, ad primam immer-
 „sionem dicentes: Ego te Baptizo in
 „nomine Patris, ad secundam, in no-
 „mine Filii, & ad tertiam in nomine
 „Spiritus Sancti., Insuper, addebat
 „Patriarcha:., Copti Confirmationis,
 „Matrimonii, & extremæ unctiōnis
 „Sacramenta non admittunt, eorum
 „autem loco subrogant fidem, jejunium,
 „atque orationem, negant quoque Spi-
 „ritus Sancti processionem a Filio, &
 „nonnisi unicam in Christo naturam,
 „unam voluntatem, atque operationem
 „profitentur: penitus vero Chalcedonense
 „Concilium rejiciunt, suosque Diaco-
 „nos in sexto, aut septimo ætatis suæ
 „anno inaugurant. De cetero circa
 „Eucharistiam eandem cum Ecclesia
 „Catholica fidem tenent, consecratio-
 „nis tamen forma paululum a Romana
 „differt, Sacramque Synaxin sub utra-
 „que specie masculis distribuunt; cum
 „autem foeminis Sanctuarium ingredi
 „nunquam concedatur, extra illud au-
 „tem Christi Sanguinem deferre in nul-
 „lo eventu apud illos liceat, hinc Sa-
 „cerdotes ad foeminas nonnisi hostiam
 „quibusdam Sacri Sanguinis guttis con-
 „spersionem deferunt, panem vero con-
 „secra-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
„secratum nunquam asservant, nullique
„sacrum Viaticum porrigunt, nisi cele-
„bretur Missæ Sacrificium, quod pro e-
„jusmodi eventu etiam a non jejunis
„Sacerdotibus quacunque hora peragi
„potest. Denique Cophtorum doctrina
„circa confessionem ab omni errore im-
„munis est, licet eorum ritus sint admo-
„dum singulares.

§. XC.

*Cophtorum pertinacia in summo Pon-
tifice non agnoscendo.*

Sacchini l. 6.
n. 124.

Cum ambo Legati jamjam reditum pararent, Patriarcha, quid de summo Pontifice sentiret, clarius mentem suam explicabat, asserens, quod nullam obedientiam ei præstare teneatur, nullaque alia præter urbanitatis officia, quæ inter omnes dignitate æquales deferri solent, a se exigendi jus Pontifici competat, eoquod post Chalcodonense Concilium, ac Patriarcharum distinctionem, quilibet in sua Ecclesia supremum sit caput, quinimo si forte Romanus Pontifex erraret, a ceteris judicandus foret. „Equidem, prosequetur Patriarcha, ipse ego Abrahamo, „quoniam illum in Italiam pergendi, „ac Romam proficiscendi desiderium incesserat, literas commendatitias dederam: si vero ipse plura, quam in hisce „lite-

„literis continentur, forte protulerit, Sæcul. XVI,
A.C. 1561.
 „ea nonnisi ex proprio suo genio addi-
 „dit, quæ tamen nullatenus a me pro-
 „lata haberi cupio., Ad hæc subri-
 „dens sic respondit Abrahamus: „in cer-
 „tis occasionibus veritatem dissimulare,
 „imo & mentiri licitum est, idque ipse-
 „met D. Paulus fecerat, dicens, quod om-
 „nibus omnia factus sit: quinimo ex-
 „stat quidam liber, in quo scriptum est,
 „quod idem Apostolus cum Paganis Pa-
 „ganus fuerit, atque idola adoraverit,
 „ut Idololatrias ab hac superstitione ab-
 „straheret., Ad hæc impietates ex-
 „horruit Rodericus, earumque fallitatem
 prolixo sermone demonstravit. Postea
 Nuntii rursus omne adhibebant studium,
 ut Patriarcham a suis erroribus revo-
 carent: cum autem ejus pertinaciam
 nullo pacto frangi posse cernerent, tan-
 dem inde recesserunt, & quidem Joan-
 nes Baptista Elianus non sine maxi-
 ma difficultate Alexandriam attingere
 poterat, eo quod ejus mater, ceterique
 Judæi nullatenus tolerare vellent, ut
 ipse in Christi fide persisteret.

§. XCI.

*Hispanorum Præsulum petitio de ge-
 stando habitu, vulgo Mozzetta
 dicto.*

Pluri-

Sæcul. XVI.
A.C. 1501.

Pall. l. 15.
n. 5. & 6.

Lit. Bor-
rom. Mont.
6. Decemb.

Pluribus Hispaniæ Episcopis jamjam Tridentum venientibus, duo ex illis magnam Legatis Pontificiis molestiam inferebant; quidam enim ex illis nomine Petrus Guerrerus Granatensis Archiepiscopus, magni quidem, sed pertinacis consilii Vir, qui jam sub Julio II. Synodo interfuit, suo, suæque Nationis Præfulum nomine facultatem petebat, vi cujus breve quoddam Palliolum vulgo *Mozzetta* dictum deferre possent, eo quod in Hispaniis ejusmodi vestem etiam extra suas Diæceses gestandi mos esset: verum hanc facultatem cuiquam Episcopo concedere, recens prohibebantur Legati, & quidem ex duplici hac ratione, eo quod Italiæ consuetudo repugnaret, nec non ceterarum nationum Episcopis id in usu non esset, adeoque indecorum fuisset discrimen, si eo solum habitu conspici cernerentur pauci quidam Hispani: insuper etiam obstabat, quod in duabus postremis Synodi convocationibus, quarum ritus retinendi erant, iidem ipsi Hispani ab eo abstinuissent, ac exemplum ab ipsis recenter adductum de Episcopis Regularibus, qui ubique locorum palliolum istud gestant, vim non haberet, cum in illis id non prærogativa dignitatis esset, sed tessera religiosæ familiæ, & hujusce rei causa
nuu-

nunquam utantur Carbafina, quam Vul-
 gus *Rocchettum* appellat.

Sæc. XVI.
 A.C. 1561.

Hanc tamen prohibitionem Legati
 publicam reddere nolebant, spe freti,
 quod Hispani longe facilius lenitate, ac
 officiosa comitate in obsequio contineri
 possent: quapropter duntaxat totius
 hujus causæ seriem Romam perscri-
 bebant.

§. XCII.

*Episcopi post varias Curia Romanæ
 oppositiones votis damnati.*

Alter die sexta Decembris ad Lega-
 tos adveniebat Nuntius, qui Borro-
 mæi Cardinalis responsum ad literas
 hac super re Romam datas tradebat, porro
 hunc in modum ab eo erat rescriptum:
 summo Pontifici haud molestum acci-
 derat Epomium passim permittere cun-
 ctis Hispaniæ Episcopis, perinde ac si
 in propriis Diæcesibus suis munia Epif-
 copalia obirent, sed super eo Cardina-
 lium sententias percipere voluit: qui
 interim illud Hispanis Præfulibus haud
 interdicebant.

*Pallav. n. 6.
 lit. Borrom.
 die 14. De-
 cembr.*

Mox igitur Legati Hispaniæ Episco-
 pis hanc responfionem nuntiabant, quæ
 etiam summa lætitia fuit excepta, quam-
 vis hoc gaudium brevi in novam ver-
 teretur sollicitudinem; nam quinto a da-
 ta prima epistola die, seu undecimo De-

Hist. Eccles. Tom. XLIV. X cem-

Sæcul. XVI. A. C. 1560. cembris Cardinales in quodam generali confessu decernebant, ut hæc vestis omnibus Episcopis, nullo excepto, ac nequidem Hispanis Præfulibus interdiceretur: scripsit itaque Borromæus ad Legatos die decima quarta ejusdem Mensis, eisque hæc significavit: quamquam Pontifex Cardinalibus insinuaverit proclivem animum, quem gerebat Hispaniæ Prælati gratificandi, sacri tamen Collegii sententiæ concordēs pro repulsa fuerunt: perpenderit enim Cardinales, par non esse, ut in gratiam paucorum, etsi summi meriti Antistitum, consueta reliquorum omnium vestis variaretur, aut quibusdam paucis alius a reliquis habitus indulgeretur.

Porro cum Legati datis Romam literis rursus pro Hispanis instarent, eisdem facultas, quam petebant, concedebatur, hacque ratione tumultus, ac dissidia, quæ forte ex repulsa oriri potuissent, præpediebantur.

§. XCIII.

Primatus Bracarenfis Archiepiscopi in dubium vocatus.

Pallav. l. 15. c. 13. n. 8. Vie de D. Barthel. des Martyrs l. 2. s. 6. Alterum, quod Legatos magis adhuc turbabat, erat negotium Bartholomæi de Martyribus Bracarenfis Archiepiscopi, qui sibi in Lusitania, totaque Hispania Primatis jus ita tribuebat, ut cun-

etis præcederet Archiepiscopis, etiam si illo priores hanc dignitatem fuissent adepti: porro quamvis aduersus illum allegarentur exempla aliorum Primatum, ac præcipue Sueciæ, quæ a priscis Gothia appellabatur, necnon Hiberniæ, aliarumque Regionum, quæ in Synodo sub Paulo III. celebrata juxta antiquitatis suæ ordinem inter Episcopos confederant, Bartholomæus tamen propugnabat, quod ex ejusmodi exemplo nihil inferri, minus vero ex paucorum, qui allegantur, obsequendi studio tam nocivum universo Primatum Ordini damnnum irrogari possit, cum Primate sint Patriarchis æquales, cunctis vero Archiepiscopis, qui Primate non sunt, superiores: quapropter cum Legati honorem deferre vellent tanto Præsuli, quem ob proprii meriti eminentiam, ac dignitatis suæ prærogativam singulari veneratione dignum existimabant, ea propter hac super re Romam perscripserunt, præcipue autem Cardinalis Moronus ex Legatis unus Pontificis jussu nullum non movebat lapidem, ut Sebastiano Leccavelæ ex eadem S. Domini familia, natione Græco, Naxi in maris Ægei Insula Archiepiscopo persuaderet, quatenus Bracarensi Archipræsuli cederet, quod ipse lubens præstiterat: non tamen adeo facilem sese præbebat

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

*Litt. Legat.
ad Borrom.
14. Dec.*

Sæcul. XVI. Granatensis Archiepiscopus, qui nul-
A.C. 1561. lum alium Primatem in Hispania præ-
 ter Toletanum esse contendebat; eo e-
 nim tempore hæc controversia sub Ho-
 norii III. Pontificatu cæpta nondum e-
 rat decisa.

Equidem Pontifex ab initio Braca-
 rensis Archiepiscopi causæ favere vi-
 debatur, sibi tamen accuratius examen
 instituendi, ac rei peritorum consilium
 expetendi jus reservabat, ubi vero suos
 Consiliarios postea convocavit, rem op-
 pido dubiam esse comperit: quapropter
 novum examen institui præcepit, quo
 comperto Cardinalis Borromæus die
 sexta Decembris Tridentum hæc per-
 scripsit: „res hæc a Pontifice decide-
 „tur in proximo Purpuratorum confes-
 „su, sed non ita validæ amplius viden-
 „tur Lusitani Archiepiscopi rationes, ut
 „antea visæ fuerant, quoniam nequi-
 „dem in Lusitaniæ Regno Bracarensem
 „Primum recipi probatur, ac subinde
 „oportet iteratas dilationes utriusque
 „Regis Hispani, ac Lusitani Oratoribus
 „concedi, quin eorum votis satisfac-
 „ri valeret.

Postea a Romana curia injunctum
 est Legatis, ut interea rem, quantum pos-
 sent, retardare, ac contendendum ani-
 mos conciliare studerent: quapropter
 nihil a Legatis ommissum, ut Bartholo-
 mæum

mæum placarent, eique persuaderent, quatenus seposita omni lite pro more in duabus aliis ejusdem Synodi congregationibus usitato illum occuparet locum, quem ei electionis suæ antiquitas tribueret. Ad hæc respondit Archiepiscopus, quod eorum sententiæ lubens acquiesceret, nisi jamjam ad Lusitanæ Oratorem literas Romam dedisset, ac proin vel a Papa, vel a Synodo, quamprimum inchoabitur, causæ suæ decisionem expectare cogeretur, interea vero a publicis functionibus haud gravate abstinere vellet.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

§. XCIV.

Ejusdem Archiepiscopi epistola in eadem causa.

Percipiamus jam ea, quæ Bartholomæus de Martyribus hac in causa perscripserat, ubi in sua epistola totius rei gestæ seriem accurate exposuit:

Vie de Barth. l. 2. c. 6

„Ad Regem, inquiebat ille, ea omnia perscribam, quæ pro tuendo Ecclesiæ meæ Primatu, ad quem per speciale Regiæ Majestatis suæ mandatum nominatus fui, hucusque gessi: ceterum exorta est primo quædam contentio, an omnibus Archiepiscopis, qui Primates non sunt, præcedam, ubi pugnant suæ ultro, citroque rationes: mihi tamen præcipue objiciebatur,

X 3

„quod

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

„quod Primatus mei jura tanquam cer-
„ta non agnoscantur, cum summi Pon-
„tifices litem inter Bracarensem, & To-
„letanum Archiepiscopos hac de remo-
„tam hucusque nulla sententia decide-
„rint: cum ergo tota res ad summi
„Pontificis tribunal devolveretur, Sancti-
„tas sua per quemdam Cardinalem illi
„Archiepiscopo, qui ex omnibus Triden-
„ti præsentibus antiquior est, ac unice
„mecum de sedis prærogativa conten-
„dere potuit, præcepit, ut mihi locum
„cederet, atque in hoc negotio Lauren-
„tius Lopesius Tabara Regius apud sum-
„mum Pontificem Orator potens præ-
„stitit auxilium: quocirca omnibus Ar-
„chiepiscopis priorem obtineo locum, at-
„que ea prærogativa gaudeo in omni-
„bus confessibus, quos in Ecclesiis cele-
„bramus, atque ideo hodierna etiam
„die, qua solemne sacrum pro defun-
„ctis habetur, solus Patriarcha Jeroso-
„lymitanus me præcedit.„

§. XCV.

*Pontificis diploma circa hanc contro-
versiam.*

Collect. Conc.
Labb. to. 14.
pag. 839.

Cum Legati hanc litem componendi
difficultatem probe cognoscerent,
hujus negotii decisionem, ut supra me-
minimus, Pontificis judicio relinque-
bant; hic vero die trigesima prima De-
cembris

cembris hanc in rem diploma edidit his Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
*verbis conceptum: Ad tollendam omnem
 controversiam materiarum, quæ inter Præ-
 latos, ad celebrationem sacri Oecumenici,
 & Generalis Concilii, in civitate Triden-
 tina pro tempore congregatos, super eorum
 præcedentia forte jam sunt exortæ, &
 indices oriri possunt, volumus, ac vobis
 per præsentés mandamus, ut omnes, &
 singulos Prælatos prædictos, videlicet ve-
 nerabiles fratres, Patriarchas primo, se-
 cundo Archiepiscopos, tertio autem loco
 Episcopos, in quibusvis actibus publicis,
 secundum gradum, & ordinem suarum
 ad eorum Ecclesias promotionum, ita ut,
 qui primus promotus ad eas fuerit, in suo
 quisque Ordine prior existat, incedere, se-
 dere, ac locum habere, nulla habita ratio-
 ne ad ipsorum dignitates primatiales, sive
 veræ, sive prætensæ illæ fuerint, auctori-
 tate nostra faciatis.*

Hoc diplomate in Episcoporum con-
 fessu perlecto Bartholomæus de Marty-
 ribus, cum Papæ decisionem Primatia-
 libus Ecclesiis damno futuram censeret,
 & aliunde in omni occasione cum li-
 bertate vere Episcopali, atque Apostoli-
 ca agere assuetus esset, illius explica-
 tionem omnino petendam iudicavit,
 hancque ob rem Legatos his verbis al-
 loquebatur: „Omnino cavendum, ne
 „tam sancta Synodus a violatis prima-

X 4

„rum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 „rum totius orbis Ecclesiarum juribus
 „inchoetur, quapropter vos omnes oro,
 „atque obtestor, ut nunc, cujus mentis
 „Pontifex in suo diplomate fuerit, ex-
 „plicare velitis: mihi enim firmiter
 „persuasum habeo, quod tam laudandum
 „Pontificis studium, quo ad sacræ Sy-
 „nodi conuocationem fertur, pariter i-
 „psum inducat, ut legitimam cujusli-
 „bet Episcopi dignitatem, illiusque con-
 „seruationem æque, ac proprii sui ho-
 „noris integritatem cordi habere fata-
 „gat: porro id eo certius spero, quo fir-
 „mius perspectum mihi est, quod sum-
 „mus Pontifex eandem foveat animi
 „sententiam, qua inclaruit Gregorius
 „Magnus Papa, qui solitus erat dicere,
 „quod ipsius gloria non sit alia, quam
 „gloria universalis Ecclesiæ, ipsiusque
 „honor consistat in conservandis hono-
 „ribus, ac dignitatibus cuiuslibet Episco-
 „po debitis. „

§. XCVI.

*Hujus diplomatis dilucidatio ab Ar-
chiepiscopo petita.*

*Vie de
Barth. l. 2. c. 6*

His addebat Archiepiscopus; „si dun-
 „taxat de me, aut privato meo
 „commodo ageretur, omnibus cedere
 „paratus essem: cum vero de Ecclesiæ
 „mihi commissæ prærogativa quæstio
 „mouetur, ex Dei, ac sacrorum Cano-
 „num

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„num præscripto, necnon Sanctorum
 „exemplis, quæ in ejusmodi eventibus
 „exstant, illud jus, cujus depositum mi-
 „hi creditum est, conservare, illudque
 „ad Episcopos meos Successores devol-
 „vere teneor, prout etiam mei Præde-
 „cessores illud in me transmiserunt. „
 Denique suas rationes tanta animi con-
 stantia, simulque tam rara moderatione,
 ac circumspeditione proferebat, ut Le-
 gati verborum pondere, atque auctori-
 tate commoti hæc responderent: *Cum*
dubitari possit, an ex prædicto decreto
Sanctissimi Domini nostri aliquod præju-
dicium generetur Primatibus supradictis
in proprietate, seu possessione suarum prima-
tiarum, sive verarum, sive prætensarum:
nos Hercules tituli Sanctæ Mariæ Novæ
de Mantua, Hieronymus tituli Sanctæ Su-
sannæ Seripandus, Stanislaus tituli San-
cti Laurentii in Palisperna, Varmiensis, ac
Ludovicus tituli Sancti Cyriaci in Ther-
mis, Simonetta nuncupatus, Sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, Sacri
Oecumenici Concilii Tridentini Præsiden-
tes, & Apostolici de latere Legati, decla-
ramus, quod mens Sanctissimi Domini no-
stri, & nostra sit, quod per hoc Decre-
tum nulli jus de novo acquiratur, nulli-
que præjudicium generetur, nulliusque jus
in proprietate, possessione lædatur, atque
demum in omnibus, & per omnia unis-

X 5

quis-

Sæcul. XVI. *quisque Primas, verus, vel prætensus,*
A.C. 1561. *in eodem statu post hoc Concilium remaneat, in quo antea permanebat.*

His addebant Legati, quod eandem declarationem scripto tradere velint. Archiepiscopus hoc responso contentus hæc asseruit: „cum salvum sit Ecclesiæ meæ jus, haud dissimulare possum „ardens meum desiderium, quo unice „exopto cuncta, quæ ad pacem in Synodo conservandam conducent, pro „viribus meis conferre, ac proin sedulo „curare volo, ut omnes altercandi, aut „dissidia inter Episcopos fors movendi „occasiones præverterentur.„ Hac itaque ratione totum hoc negotium feliciter compositum est.

§. XCVII.

Sextus Legatus reliquis quinque jam nominatis a Papa adjunctus.

*Pall. c. 13.
n. 10.*

Ceterum Papa ad Legatos præfatum diploma recta dirigebat, atque in eo sigillatim omnes nominabantur Legati, ne quidem excepto Cardinale Puteo, qui tamen tunc absens erat, ac propter adversam valetudinem vix ullam spem reliquam fecerat, fore, ut Synodo interesse posset, quocirca summus Pontifex sextum Legatum Marcum Siricium Altempsium Nepotem suum, ac Constantiensem Episcopum nominabat, spe fretus,

tus, quod quamvis ea, quæ ad obeun-
dam sublimem hanc dignitatem neces-
saria foret, peritiæ, ac doctrinæ emi-
nencia in Altempfio deesset, nihilomi-
nus generis sui nobilitas ad sibi conci-
liandos Germanorum animos haud pa-
rum conferre posset; quippe ex illustri-
sima Imperii familia ortum trahebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Posthæc circa finem Novembris sum-
mus Pontifex tria decreta in publico
Patrum Senatu promulgabat, & quidem
primo sanciebat, ut tunc, si durante Sy-
nodo sedes vacaret, novi Pontificis e-
lectio ad Collegium, non ad Conci-
lium pertineret, prout pariter in præ-
cedentibus Patrum congressibus statu-
tum fuerat. Altero declaratum fuit,
quod non liceat Pontifici successorem,
adjectoremve cum futura successione si-
bi deligere, etiamsi Cardinales omnes
assentirentur. Tertio prohibitum fuit,
ne jus suffragii haberent in Concilio a-
lii, nisi Episcopi, qui illic aderant, prout
jam a Paulo III. sancitum fuerat.

§. XCVIII.

*Duo Poloniæ Episcopi Tridentum
venientes.*

Mense Decembri duo e Polonia Præ-
sules venerunt Tridentum, qui cum
Legat-

Sæcul. XVI. Legatos salutassent, & Cleri sui obsequium, ac submissionem Sedi Apostolicæ debitam testati essent, exponebant, quibus artibus Lutherani doctrinam suam in Pōloniam inducere attentarint, & quænam fundamenta hæcenus jecerint, necnon quam attenti ad prævertendas eorum machinationes ipsorum Episcopi excubent, qui quidem omnes flagrarent desiderio sistendi se Concilio, & præsentia sua promovendi causam omnium communem, sed ob hæreticorum molimina a suis Ecclesiæ abesse haud possent, cum ad veræ doctrinæ hostes, eorumque conatus continuo invigilare cogantur: de cetero autem inquebant ab illis promitti, quod suos Procuratores, qui eorum loco sententiam proferrent, mittere velint, cum autem hi duo Episcopi ipsimet ejusmodi essent Procuratores, seu ipsis ceterorum omnium nomine agendi facultas data fuisset, hinc petebant, ut liceret ipsis per Procuratores auctoritate munitos Synodo intervenire, & una cum Prælati, qui sunt præsentis, ferre suffragia: insuper volebant, ut singulis, qui ab Episcopis legitima de causa impeditis mandata perferrent, jus suffragii non denegetur. Ad hæc a Legatis responsum est, quod matura deliberatione opus esset, priusquam de ea re statueretur:

tur: idcirco mox, quid peteretur, nuntiarunt Pontifici, qui confestim Purpuratorum Senatum convocavit, ubi tamen hæc propositio fuit rejecta, eoquod jam in prima Tridentinæ Synodi convocatione sub Paulo III. statutum fuisset, ne decreta fierent per Nationum, sed singulorum Præfulum suffragia, nihilominus summus Pontifex Legatis injungebat, ut Polonos omni verborum benignitate complecterentur, eis tamen hæc exponerent: „Concilium illud cum „eo, quod a Paulo III. cœptum est, idem, „ejusque continuatio, proin cum eadem „agendi forma, & ordine ibi inchoaretur, ac utiliter usurparetur, idcirco „postmodum etiam quoad omnia prosequendum est: jam vero inter alia id „receptum fuit, quod absentium suffragia „non computentur, nulloque loco habeantur, hinc nec id in ipsorum gratiam „infringi potest, nisi cum magna rerum perturbatione id ipsum aliis nationibus permittatur: si quid autem „Poloni postulant, quod ipsorum proprie „interest, neque in aliis Regnis turbarum, „motuumque occasiones excitat, id lubentissime eis indulgebatur propter nobilissimæ illius nationis merita. „ Ex hac responsione creditum est, quod Polonis satisfieret: ii tamen post paucos dies quæsito negotii ibidem peragendi

ob-

Sæc. XVI.
A C. 1561.

Sæc. XVI.
A. C. 1561.

obtentu Venetias profecti sunt, Tridentum amplius non revertentes (*).

§. XCIX.

Ferrariensis Cardinalis innocentia datis ad Papam literis vindicata.

Pall. t. 14.
n. 7. & 8.

Interea Romæ adversus Cardinalem Ferrariensem, qui in Galliis legatione fungebatur, querelæ movebantur, nam cum Navarræ Regina cujusdam Ministelli modestiam, ac moderationem plurimum exaggeraret, ac Ferrariensem Cardinalem ad excipiendam hujus Præconis concionem induceret, ea res Romæ in sinistram partem vertebatur, atque hoc obsequendi studium Legato in crimen dabatur: ut vero Cardinalis suam agendi rationem vindicaret, literas ad Papam dedit, easque per Niquetum Abbatem deferendas curavit: insuper Sanctacrucium, qui in Franciæ aula Papæ Legatus erat, rogabat, ut ipse desuper ad Pontificem scriberet: annuit Sanctacrucius, nuntiavitque Pontifici, narratum sibi fuisse a præcipuis Aulæ Ministris, quod nihil magis profuisset ad leniendum, inclinandumque
animum

(*) Intererat tamen sub Pio IV. Tridentinæ Synodo duo alii Poloniæ Episcopi Valentinus Herbutus Præmisilensis, & Stanislaus Faleschi Theodosiensis.

animum Joannæ Navarræ Reginæ ad partem Catholicam, quam exhibita humanitas in ea invisenda, ejusque concionatore auscultando: verum Pontifex, qui ad eam usque diem legatum suum in Patrum Senatu sæpius defenderat, nunc tamen palam Niqueto Abbati declarabat, quod postremum facinus sibi summopere displiceat, eo quod negotia Religionis non ea norma sint tractanda, qua res politicæ, præcipue cum Francia, prout ipsemet Cardinalis satis aperte conspexerat, adeo præceps in fidei exitium ruat, ut jam de ea desperatum sit, nisi proxima ruina per extremam severitatem præpediatur.

§. C.

Ferrariensis epistola hac de re ad Cardinalem Borromæum.

Postquam Cardinalis Legatus per suum Procuratorem de Pontificis responso certior fuerat factus, proluxa admodum epistola ad Cardinalem Borromæum data suam agendi rationem vindicare nitentur, exponens, quod Francia tantis premeretur malis, & illis nulla alia remedia, quam quæ ipse adhibuisset, opponi potuerint: his dictis in sua epistola subjunxit. „Equidem Franciæ Episcopi nondum ad Synodum profecti sunt, sed hæc cunctatio nec Reginæ regnanti,

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

„regnanti, nec Navarræ Regi imputari
 „potest, sed potius cuncta obstacula pro-
 „veniunt a Regis Senatu, qui sese ho-
 „rum discessui opponit, cum ex Viris
 „suæ jurisdictionis tenacissimis constet,
 „aliunde vero eorum potissimi novis
 „spurix reformationis erroribus imbuti
 „sint, nihilominus spe fretus vivo, fore,
 „ut Galli Sedis Apostolicæ auctorita-
 „tem revereri cogantur; licet enim ma-
 „lum sane gravissimum premat, non
 „tamen res Religionis in Francia adeo
 „collapsæ sunt, ut de ejus salute despe-
 „randum esset: ut tamen ab hoc regno
 „extremum avertatur exitium, lenita-
 „tem potius adhibendam censeo, Hi-
 „spanosque præpediendos, ne se rebus
 „Franciam concernentibus ingerant,
 „quoniam ipsi potius ad illius ruinam
 „intenti sunt: de cetero Roma redu-
 „cem expecto Abbatem Niquetum, ut
 „de summi Pontificis mente certior fa-
 „ctus, consilia per eum data exactius
 „amplecti valeam: si vero alium Lega-
 „tum rebus gerendis me magis ido-
 „neum decernere, Sanctitati suæ placue-
 „rit, lubens ei locum cedo, dummodo
 „Sacrae Sedis commodo, ac gloriæ con-
 „sultum sit: spero tamen, per ipsos re-
 „rum eventus innocentiam meam vin-
 „dicatum, atque abundanter, quidquid
 „apud

„apud summum Pontificem benevolen- Sæcul XVI.
 „tiæ, ac gratiæ amisi, repensum iri.,” A.C. 1561.

§. CI.

Consilium de maturanda Synodo Car-
dinalibus a Papa propositum.

Porro summus Pontifex in proximo,
 quem transmissis hisce literis cele-
 brabat, Patrum Senatu Cardinalibus
 hæc proposuit: „ Tam Sacræ Sedis,
 „quam vestræ dignitatis honori adver-
 „satur, quod alii pro vestra emendatio-
 „ne regulas præscribant, atque in præ-
 „senti rerum vicissitudine, ubi una omnes
 „reformationem deprecant, petitionem
 „adeo æquam rejicere haud consultum
 „est: attamen, ut eorum votis satisfiat,
 „medium maxime opportunum censeo,
 „si propria cujuslibet reformatio calu-
 „mniantium querelas præveniat: inde
 „enim non modo prosperum in moder-
 „no rerum statu successum sperare licet,
 „sed etiam vos vestro exemplo aliis præ-
 „lucentes honorem vestrum augere po-
 „teritis: præprimis vero sacræ Pœni-
 „tentiariæ, ac Datarie tribunalia, quibus
 „nobiliores Aulæ nostræ Prælati præ-
 „sunt, emendanda judico, & postea ani-
 „mum meum ad alia ejusmodi nego-
 „tia adjiciam: „ Hanc in rem Pontifex
 quosdam Cardinales, qui reformationi
 infudarent, nominabat, & simul expo-

Hist. Eccles. Tom XLIV.

Y ne-

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

nebat rationes, quæ Synodi inchoationem haud amplius differendam suaderent, eo quod, inquit ipse, „ultramontani, quo magis deprimendæ auctoritati Sedis Apostolicæ intenti probantur, „eo amplius etiam hæc consilia excogquendi, ac malum inferendi spatium „nanciscantur: unde timendum quoque „foret, ne & ceteras etiam Nationes „suis involvant erroribus: ex quibus omnibus aperte constat, quod Sacræ „Sedis incolumitas a prompta Synodi „celebratione dependeat. „

§. CII.

*Legatorum consultatio de argumentis
in Concilio proponendis.*

Pallav. l. 15.
c. 15. l. c.

Adierant Tridenti eo tempore quatuor duntaxat Legati, cum Altempsius nondum adventasset, & Puteus ob adversam valetudinem absens esset: porro illi ad Synodum necessaria parantes præprimis de materiis ibidem proponendis, necnon de ordine servando deliberabant, hancque in rem duo capita Borromæo Cardinali efficacius commendabant, quorum primum erat, ut religiosum fervetur silentium, ne decretis intempestive divulgatis calumniandi ansa præberetur: II. suadebant, ut Pontifex, si quempiam articulum Cardinalibus ad deliberandum desuper fors

Romæ

Romæ sit propositurus, eundem tanquam suam decisionem proferret, non autem illum a Legatis profectum indicaret, ut hac ratione Legati a sacri Collegii querela, vel æmulatione immunes fierent, nec illis imputaretur, perinde acsi Purpuratos edocere auderent. Ceterum Pius IV. in sua epistola, quam fociis suis tradendam Simonettæ Legato dederat, confirmabat mandatum, vi cuius præfens Concilium tanquam prioris continuatio respiceretur, ac decreta jam antea facta duntaxat pro confirmatis haberentur, de qua re jam dudum Pius Philippum Hispaniæ Regem certiore fecerat: cum vero inde, ne hæretici tam Germani, quam Galli hac propositione offensi a Synodi accessu retraherentur, timendum veniret, atque aliunde Legatorum animus non is esset, ut palam proponerent continuationem eorum fidei capitum, quæ a priori Concilio examinanda supererant; id enim manifestum fuisset argumentum, quod hæc decreta omnino intacta relinqui vellent, hinc præprimis putabant, quod librorum prohibitorum index prosequendus esset, hancque in rem proferendæ forent Papæ literæ, quibus hunc laborem Pontificia auctoritate aggredi monebantur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Y 2

Verum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Pallav. lit.
Legat. ad
Borrom. 14
Decembr.
1561.

Verum Legati paulo post ab hoc consilio resilire, utpote animadvertentes, quod hosce libros hæreticos proscribere haud possent, quin simul illorum Authores damnarent: hac autem agendi ratione Protestantes a Synodi accessu absterrerentur, cum tamen, ut Tridentum venirent, nil intentatum relinqueretur: eapropter Legati datis ad Papam literis argumentorum selectum Synodi Patribus relinqui petebant, certum siquidem erat, quod hi capitum jam decisorum continuationem selecturi essent, hocque pacto id, quod intendebant, consequerentur, simulque omnem contra Papam, cum id iussisse haud crederetur, querendi ansam hæreticis præriperent, ac luculentum libertatis in Synodo solemniter concessæ specimen ederent: priusquam vero ad hæc literas responsum acciperent, Cardinalis Borromæus eis significabat, quod summus Pontifex Synodi initium ad quosdam dies differre, in eorum arbitrio relinqueret, quamvis illam in die tribus sanctis Regibus sacro inchoare iussi essent, concepta spe, quod intra breve temporis spatium Cæsaris Oratores adventuri essent.

§. CIII.

Legatorum monita Episcopis data.

Enim-

Enimvero Imperatoris Legati ad Oratorem Romæ agentem perscribent, quod jamjam iter aggressi media Januarii parte nondum evoluta Tridentum venire vellent: accepto hoc nuntio summus Pontifex Synodi initium absque ulteriori dilatione decernere statuit, ac Marchionem Piscarium, qui Philippi II. Legatus ad Concilium nominabatur, impense sollicitabat, ut maturato itinere Concilii initio interesset, nec minus Papa Venetos rogabat, ut & ipsi suos quoque Oratores eo ablegarent, sicque hæc solemnitas cum majori pompa, ac Majestate celebrari posset: postquam igitur Legati cuncta ad Synodum præstituta die inchoandam necessaria parassent, haud abs re fore censebant, ut Episcopis, ex quibus Concilium constabat, prius quædam darent monita, quorum præcipua erant hæc. I. Concilii Tridentini decreta custodiantur de modestia, & pietate in cunctis actionibus exhibenda. II. In templis convenientes silentium servent, adeo, ut Ceremoniarium Magistri ea, quæ sui essent muneris, absque strepitu peragant, & quoad fieri posset, per nutus potius, quam per verba: III. Præfules a nimia epularum lautitia abstinant, & sobria, parcaque mensa utantur, eamque condiant sacræ Scripturæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Pallav. c. 15.

n. 3.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

ræ lectionibus instar Agaparum, ab antiquis Synodis permiffarum, recolentes memoria, a Redemptore in fine Coenæ institutam Euchariftiam fuisse, ut ostenderet, christianorum coenas ita temperatas habendas esse, ut ipsi postea ad celebranda Sacramenta idonei reperiantur.

§. CIV.

Hispanorum contentio de Synodi continuatione.

Pallav. c. 15.
§. 4.

Cum pro urgendo Concilii initio omnium studia ferverent, Granatenfis Archiepiscopus quoddam fuscitabat dubium, quod præprimis dissolvendum credebatur; hic enim Simonettæ Cardinali significabat, quod inaudiisset, quod velint Præsides in prima Congregatione generali ambiguis, atque æquivocis uti vocibus, ut discerni nequeat, an nova hæc Synodus esset, vel utrum prioris Tridenti habitæ continuatio: his præmissis declarabat, id in causâ fuisse, ut Episcopi ab Hispania tardius discessissent, atque in Regis consilio quamplures eorum discessui sese opposuissent, quamvis Papa per literas Regi datas declarasset, quod velit hanc Synodum nuperi Concilii continuationem esse, cui quoque sententiæ in Regis Senatu mox ceteri adhæserint, cum sanctitatis suæ
pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

promissa nullo pacto violanda scirent: proin si præprimis hic articulus clare, ac dilucide non explicetur, nec ipse, nec alii Nationis suæ Episcopi, quieto animo persisterent. Verum ad hæc respondit Legatus: „semper constans est Pontificis voluntas: diploma verò eam loquendi rationem usurpaverat, ne Protestantes alienarentur, simulque Cæsari satisfieret, prout Rex Catholicus ejus Nepos desideraverat, hinc Hispani permittebant, ut in diplomate nulla fiat mutatio primo bimestri, vel saltem usque ad primæ sessionis finem, cum timendum esset, ne exinde Concilii auctoritas labefactetur, ejusque honor imminuatur.„

Videbatur Granatensis Archipræsul huic responso acquiescere, nec amplius rem urgere: attamen paucis post diebus, præsentate Madrutio Cardinale omnes quatuor Legatos adiit, & suam petitionem instauravit, illamque postea vehementius seorsim Simonettæ, & Seripando Cardinalibus inculcavit, hæc exponens: „quæ ad Deum & Religionem spectant, claris, non autem ambiguis verbis sunt exponenda; mihi enim, cum adhuc in Hispaniis agerem, meosque Fratres ad Tridentinæ Synodi accessum hortarer, horum plures hæc objectabant verba: *Quid si Triden-*

Y 4

„ti

Sæcul. XVI. *„ti comperies, continuationem præteritæ*
 A.C. 1561. *„Synodi non intendi, visne eo pergere,*
„confestim inde reversurus: insuper ipsa
„Cæsaris oppositio auget apertæ decla-
„rationis necessitatem; cum enim Hi-
„spani suspicionem conceperint, eorum
„opinionem dissipare, ac sedare necesse
„est, hinc oportet claras adhibere vo-
„ces, quibus sincera mens patefiat, nam
„secus innumeris altercationibus janua
„aperitur. „ Ad hæc respondebant
 Legati, quod ea declaratio in favorem
 Cæsaris, cujus precibus deferre oportet,
 fuerit omissa, hacque agendi ratione
 facilius hæreticos conciliari posse spe-
 retur, atque ex Pontificis benevolentia
 concessum, ut per aliquot dies hæc de-
 claratio differretur, cum Papa omnem
 querendi ansam præripere vellet Gallis,
 brevi adventuris, cum hi articulum
 tanti momenti ipsis non auditis deci-
 sum fuisse abs dubio quererentur: si
 vero Granatensis Archiepiscopus suæ
 Nationis Episcoporum nomine litem in-
 tentare velit, demandatæ sibi hujus fa-
 cultatis literas exhibeat: si vero pro-
 prio nomine altercatur, Synodi respon-
 sum expectet, nec sibi tam facile per-
 suadeat, omnes Hispaniæ Episcopos in
 ipsius sententiam ituros. Ceterum hæc
 eadem caussa rursus agitabatur in pri-
 ma Congregatione generali, brevi ta-
 men

men memorabimus, quod Hispani Præ-
 fules a sua petitione resilierint, ne Cæ-
 saris indignationem incurrerent, nec
 Franciæ Regem, & Germanos offende-
 rent, simulque Protestantibus omnem
 calumniandi ansam submoverent: hanc
 tamen adjiciebant conditionem, ut nul-
 lum proferatur verbum, quo nova Sy-
 nodus significaretur, aut quicquam con-
 tinuationi petitiæ contrarium exprime-
 retur. Hæc omnia gesta fuere ad
 Mensis Januarii initium paucis ante
 primam congregationem diebus, nam
 ea die decimo octavo ejusdem
 Mensis ante inchoationem Sy-
 nodi habebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

